DISPVTATIO
DE VALORE, ET FRVCTV SACRIFICII MISSAE.

IN QVA VIRTVS EIVS IMMENSA, & fructus vberrimus in fidelibus, pro quibus offertur, mira, & noua ratione exprimitur.

AVCTORE A. R. P. F. IO. DOMINICO Montagnolo Senenſe, Ord. Præd. Prouinciæ S. Catherinæ de Senis, Sacræ Theologiæ eximio Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



ASTAE, Apud Virgilium de Zangrandis. 1613.
Superiorum permiſſu.

Approbatio.

NOs Fr.Franciſcus Scriua Prior Generalis Prouinciæ S. Catherinæ Senenſis, Ord. Prædic. Diſputationem de valore,& fructu ſacroſancti Sacrificij Miſſæ,conſcriptam à R.P.F. Io. Dominico Montagnoli Senenſi,Magiſtro, cùm duo Patres in ſacra Theologia Magiſtri,quibus inſpiciendi cura à Superioribus noſtris iniuncta fuit,accuratè recognouerint, nihilq; in ea orthodoxæ Fidei, aut Eccleſiæ Doctrinæ,bonisue moribus aduerſum reperint, facultatem damus vt publicè typis excudi poſsit. In quorum fidem ijs noſtro ſigillo munitis, propria manu ſubſcripſimus. Dat. in noſtro Conuentu Ieſus Mariæ,& Sancti Vincentij die 24. Martij 1609.

Fr.Franciſcus Scriua,qui ſupra.

Magiſter Cornel.Tiroboſcus Præd. Ord. Curiæ Archiep.Teologus vidit.

Imprimatur.
Petrus Ant. Ghibertus Locumtenens.

Denuò imprimatur.
Fr.Hieronymus Rebiolius Ord.Præd.Magiſter, & Vic.Gen.S.Officij Aſtenſis.

M. ILL. ET REVERENDISS.
D. D. Iacobo Goriæ Epiſcopo Vercellarum, & Comiti, Patrono colendiſſ.

Fr. Hieronymus Rebiolius Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magiſter S. E. F.

AVREVM hoc opuſculum à M.R.P.F.Io.Dominico Mō tagnolo Senenſi Ord. Prædicatorum Sac. Theologiæ Magiſtro; viro ingenij acumine, doctrina, & pietate præclariſsimo in lucem editum: In quo de Sacroſancti Sacrificij Miſſæ valore immenſo, excellētia permaxima, ac uberrimo fructu noua quadam, & admirabili ratione diſputat, difficillimas nonnullas quæſtiones non minus argutè, quàm ſapienter diſcutit, & abſoluit, opiniones quaſdā;

ne dicam errores; mira ingenij ſubtilitate elidit, abditiſsima myſteria pãdit, fideliũq; mentes ad huius Sacrificij præſtantiſsimi deuotionem, & veneratione magis ac magis excitare conatur: Vbi cùm Romæ, tùm Neapoli ad virorũ manus eruditione, religione, & authoritate ornatiſsimorum peruenit, illis adeò arriſit, vt non modò ipſum incredibili animi voluptate perlegerint, sũmisq; laudibus extulerint, verum etiã auctorem, vt prælo cõmitteretur, non modò hortari fuerint, ſed & rationibus impulerint. Atqui cùm eius exemplaria in hiſce potiſsimùm partibus ad pauciſsimos deueniſſent, non defuere alij viri doctrina, & pietate præditi, qui, ut denuò imprimeretur, mirum in modum exoptarint, & ſæpiùs à me efflagitarint. Quorum ego votis ſatisfacere cupiens, accuratione, quanta potui maxima, ut typis denuò demandaretur curaui;

ui; ac etiam ut prætioſius haberetur, iucundiusq; foret, viro præſtantiſſimo ſub cuius auſpicijs, & patrocinio circunferetur, dicãdum cenſui. Cui autem rectius conuenientiusq; libellum iſtum inſcribere poterã, quã tibi, Reuerendiſs. Præſul, doctrina, & eruditione, religione, & humanitate, dignitate, & auctoritate praclariſſimo? Enimuero cùm huius operis argumẽtum ſit de Sacrificij Miſſæ immenſo valore, vi, & efficacia dignitati Epiſcopali, qua fulges, & muneri tuo pontificali, quo in Inclyta Ciuitate Vercellarum fungeris, cõgrua ratione debetur. Inſuper cùm Sacrificium iſtud præſtantiſſimum in Eccleſia Sancta Dei non modò offeras, ſed & alijs eandem dignitatẽ conferas, nonnè ipſius valorem, excellentiam, & fructum, quem libellus iſte mirificè declarat, docet, ac tuetur, te comprobare, ac patrocinari digniſſimum eſt? Accedit inſuper

beneuolentia in me tua, & quamplurima ſtudia à te mihi præſtita, quorũ, vt aliquã partem perſoluere uidear, me ſimul cũ opuſculo iſto tibi donare compellor. Et ne, quæſo, operis breuitatem intuearis, ſed illius eruditiſsimorum virorum maximam æſtimationem, tuamq; ſingularem humanitatem, qua ſoles, etiam ingenuorum animorũ munuſcula hilari vultu recipere. Exeat igitur fælix ſub tui nominis ſplẽdore libellus iſte, tu verò me amare perge. Vale.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, QVAE in hoc opere diſcutiuntur.

1 AN valor, & ſufficientia Miſſæ ſit finita, vel infinita. Cap. 3. pag. 12.

2 An effectus, vel efficacia Miſſæ, ſeu Sacrificij ſit finita, vel infinita. C. 8. pag. 37.

3 An Sacrificium Miſſæ habeat effectum ex opere operantis, vel operato. Cap. 13. pag. 61.

4 An Sacrificiũ Miſſæ habeat ex opere operato effectum remiſſionis pęnæ ſolùm, aut etiam alios. Cap. 20. pag. 103.

5 An valor, & fructus Sacrificij Miſſę ſit ſimplex, an multiplex, ſiue an diuerſæ rationis ſit fructus generalis, & ſpecialis. Cap. 22. pag. 119.

6 An Sacrificij Miſſæ poſſit pluribus applicari ſpecialiter, ita quod vni proſit ſine detrimento alterius. Cap.24. pag.132
7 An plura ſtipendia liceat pro vnius Miſſæ celebratione recipere. C.26. pag.150

INDEX
RERVM OMNIVM NOTABILIVM

A

ANtiqua ſacrificia omnia continentur eminenter in ſacrificio Euchariſtiæ. Cap. 2. fol. 9

Argumenta contra infinitam virtutē ſacrificij ſoluuntur.Cap.5.23.

Argumenta contra infinitam efficaciam ſacrificij ſoluuntur.Cap.11.& 12.fol.49. & 52.

Argumenta, ꝙ vna Miſſa nequeat pluribus perſonis applicari ſine detrimento,ſoluunt̄.C.25.149

B

BOnitas operis operantis multipliciter attenditur in ſacrificio.Cap.13. 61

C

CAuſæ Miſſæ per omnia oſtendunt infinitam ſacrificij virtutem.Cap.4. 16

Conſecrationis verba multipliciter exponuntur. Cap. 4. 19

Chriſtus in Miſſa ſe offert per miniſtrum.C.5. 25

Chriſtus multipliciter operatus eſt noſtram ſalutem. Cap.14. 68

D

DEmeritum peccati conſideratur, vel ex ordine inſtituto,vel ex capacitate peccati. Cap. 14. 67

Deuo-

Deuotio recipientium fructum ſacrificij,determinat quantitatem effectus. Cap.9. 45
Deuotio non eodem modo ſe habet in ſacrificio, & in Sacramentis. Cap.9. 45
Differentia multiplex eſt inter ſacrificium,& ſacramenta.Cap.19. 97
Differentia principalis inter ſacrificium, & ſacramenta, eſt cauſare fructum vniuerſalem,& particularem. Cap.19.& 20. 101. & 106
Differunt valde, quòd vni perſonæ applicentur plures Miſſæ,& quòd vna Miſſa applicetur pluribus perſonis.Cap.24.& 25. 133 & 145

E

ECcleſię intentio in Miſſa non eſt finita.C.5. 27
Effectus ſacrificij de ſe non eſt finitus.C.8. 37
Effectus ſacrificij eſt maior,& minor multipliciter Cap.20. 106
Efficacia ſacrificij eſt indeterminata intenſiuè, & extenſiuè in effectibus,& perſonis. C.8. 38
Efficacia ſacrificij infinita probatur.C.10. 46
Euchariſtiæ contemplatio eſt profunda, difficilis, vtilis,& iucunda. Cap.1. 1
Euchariſtiæ tractatio pertinet ad Theologos,non ad Canoniſtas.Cap.2. 4
Euchariſtia vt Sacramentum prodeſt vni, ideſt ſumenti,vt ſacrificium,pluribus prodeſt, pro quibus offertur. Cap.2. 7

F

FRuctus Miſſæ eſſentialis,& accidentalis exponitur. Cap.15. 72

Fructus ſacrificij ſimplex, vel multiplex, declaratur.Cap.22. 119

G

GEneralis,& ſpecialis fructus ſacrificij eſt eiuſdē rationis,& defenditur.C.23. 127

Gradus effectus ſacrificij ex opere operato variatur ſimul cum gradu ex opere operātis.C.8. 40

H

HOmo quatuor ſpecialiter debet Deo, honorem, gratias, ſatisfactionem, & ſupplicationem. Cap: 14. 69

I

IMpetratio ſacrificij explicatur. C.20. 104

Infinitam ſacrificij virtutem oſtendunt omnia, quæ ad ipſum concurrunt.Cap.4. 23

Infinita eſt ſacrificij virtus quoad effectus,& quoad perſonas.Cap.7. 34

L

LEgis antiquæ ſacrificium triplex erat.C.2. 9

M

MEritum Chriſti cōſideratur vel ex ordine inſtituto, vel ex dignitate merentis.C.14. 67

Miſſa continet orationem, & oblationem. Ca.2.5

Miſſa dicitur ſacrificium ſtrictè,& propriè.C.2. 6

Miſſæ ſacrificium eſt ſpecialiter propitiatorium. Cap.2.& 14. 9.& 69

Miſſæ ſacrificium eſt repræſentatiuum multipliciter.Cap.2. 11

Miſſæ ſacrificium explet omnia, quæ homo debet

Deo

Deo.Cap. 14. 69
Miſſæ ſacrificiũ prodeſt ex opere operato.C.15.73
Miſſa vniuerſalem habet effectum pro offerentib. & pro quibus offertur,& probatur.C.16. 78
Miſſæ Sacrificium ex opere operato honorat Deum, gratias agit, impetrat, & propitiatur pro culpa.Cap.17.fol.85.& ſeq.
Miſſæ ſacrificium ex opere operato ſatisfacit pro pœna.Cap.18. 91
Miſſæ ſacrificium ex opere operato infallibilem habet effectum.Cap.18. 93

N

NOmen ſacrificij, ſumitur, pro ſacrificio, & pro ſacramento.Cap.2. 5

O

OFferre ſacrificiũ multi dicuntur. Ca. 2. 7
Operis operantis virtus, & effectus in ſacrificio eſt accidentalis. Cap.15. 72
Orationes adhibitæ in Miſſa, oſtendunt virtutem eius infinitam.Cap.4. 21
Orationes in Miſſa conuenienter ſunt inſtitutæ. Cap.20. 109

P

PArisienſis Vniuerſitas habet effectum ſacrificium non eſſe finitum.Cap.10. 46
Petens ſacrificium offerri pro ſe ſolo,facit contra naturam ſacrificij,& intentionẽ Chriſti, & Eccleſiæ.Cap.9. 44
Petere Miſſam in communi,& in ſpeciali,puta de Spiritu ſancto,quomodo differant.Cap.25.144

Poteſtas

Poteſtas Sacerdotis applicandi totalem effectum pluribus,non eſt ignota Eccleſiæ.Cap.12. 59
Plura ſtipendia pro eadem Miſſa quomodo poſſint accipi,& defenditur.Cap.26.fol. 150.

Q

QVæſtiones multæ continentur in titulo huius diſputationis.Cap.2.fol.11.

R

REmiſsio pœnæ non ſola eſt effectus ſacrificij, ſed etiam alia,probatur.Cap.21. 110

S

SAcerdos non taxat effectum ſacrificij, ſed deuotio.Cap.23. 132
Sacrificij definitiones.Cap.2. 6
Sacrificium ex opere operato immediatè,& infallibiliter operatur bonum eorum pro quibus offertur.Cap.13. 66
Sacrificium non eodem modo, quo Sacramenta habet effectum ex opere operato.Cap.19. 96
Specialis fructus applicari poteſt pluribus ſine detrimento probatur. Cap.24.fol.134.

T

TRiplex eſt in ſacrificio fructus Chriſti Eccleſiæ,& Sacerdotis. Cap.22.fol.120.

V

VAlor,& virtus ſacrificij nec intenſiuè,nec extenſiuè eſt finitus.Cap.3. 13
Virtus ex opere operato in ſacrificio multipliciter intelligitur. Cap.13. 62

AD

AD DISPVTATIONEM DE VAlore, & fructu Sacrificij Miſſæ

PRAEFATIO.

SAEPENVMERO præſtantiſsimam ſacroſancti Sacrificij Miſſæ dignitatem, & excellentiam contemplatus, duo potiſsimum præ cæteris in ipſo animaduerti conſideratione digniſsima; Reuerentiam, ſiue honorem, quem vniuerſi Fideles eidem exhibere tenentur, ac etiam vtilitatem, ſeu commoditatem, quam vniuerſali Eccleſiæ cōfert. Reuerentia profectò, ac veneratio debetur illi maxima; vel ratione ſacratiſsimæ carnis, ac ſanguinis prætioſiſsimi; vel ratione animæ ſanctiſsimæ, ac beatiſsimæ; vel potiſsimum ratione perſonæ, ac naturæ diuinæ: quapropter non qualiſcunque honor, vel cultus adhibetur, ſed diuina latriæ adoratio. Vtilitas autem, & fructus eſt adeo præcellens, atque ſuper abundans, vt ſummus, & vniuerſalis, ac demum infinitus exiſtat. Planè quis nō videat ſummum, & præclariſsimum eſſe incruenti Sacrificij fructum? vtpote à quo totius hominis ſalus, & vita proficiſcitur: quamobrem in calicis oblatione, dùm Miſſa celebratur orat Sacerdos, Meam (inquiens) & omnium fidelium ſalutem operetur ęternam. Vnde lucidiſsimè quoque perſpicitur

ſpicitur vniuerſalem prorſus conſequi fructum; quippè qui ad cunctos latiſsimè Fideles pertingit; id quod tùm ex adductis verbis apparet; tùm ex canonis initio, vbi dicitur, Quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica. Et iterùm habetur, Oblatio cunctæ familiæ tuæ. Ex his verò duobus proculdubio fructus colligitur infinitus: quomodo enim finitus eſſe dicatur, ſi omnibus abſq; diſcrimine prodeſt? ſi pro peccatis vniuerſis propitiatorium eſt ſacrificium? ſi pro cunctis vel bonis comparandis, vel malis propulſandis offertur? Enimuero frequentiſsimum deberet eſſe Sacrificium, vt per ipſum Deo Opt. Max. venerationem, & laudem, & gratias exhibeamus, etiam ſi nulla nobis inde proueniret vtilitas. Quid enim homini fideli antiquius, charius, & iucundius eſſe debet, quàm Dominum Deum auctorem ſuum venerari, & colere, laudare, ac prædicare, benedicere, atq; gratias agere? at verò longè magis alliciuntur Fideles, & inuitantur ad frequentiorem huius almi Sacrificij celebrationem, & cultum, eo quod tota ex ipſo proficiſcitur ſalus, cunctaq; nobis bona iugiter, ac magnificentiſsimè comparantur. Hanc equidem vtilitatem ſummam, vniuerſalem, & infinitam, quam ſæpiſsimè mente reuolui; eamquè in Sanctorum Patrum ſententijs, ac Theologorum ſcriptis reperire concupiui, quo veritas hæc vniuerſali Eccleſiæ maximè neceſſaria innoteſceret apertius vniuerſis: cumq; nonnullos, eoſq; non paucos offenderim, qui fructum Sacrificij valdè

dè diminuentes, præclariſsimam eius dignitatem tenebris offundunt, opportunum, immo maximè neceſſarium duxi, eiuſdem nō modò valorem, atq; virtutem, verum etiam fructum, ſeu effectum explicare, confirmare, tueri; quòd ipſum in præſenti diſputatione perficere, ope diuina, tentaui; non quidem cogitationibus meis innixus, aut proprio confiſus ingenio; ſed Tridentinæ Synodi verbis munitus, ac Angelici Doctoris Eccleſiæ S. Thomæ auctoritate roboratus, atquè Cardinalis eruditiſſimi Caietani illuſtratus doctrina, necnon peritiſſimorum Dominicani ordinis Theologorū adiutus conſenſu. Quamobrem cunctos oratos velim, vt æquo animo hæc noſtra percurrant, dictorum rationes diligenter diſquirant, pijſsimum laboris noſtri finem attendant; cumq; iſta ſedulò animaduerterint, laborem noſtrum nequaquam eis vel moleſtum, vel inutilem fore arbitramur; quem in ſacroſancti Sacrificij, quod in Miſſa celebratur, honorem, & gloriam impendimus libentiſsimè.

DE VALO-

DE VALORE, ET FRVCTV SACRIFICII MISSÆ.

CAPVT PRIMVM.

Oſtenditur præſtantiſsimam eſſe tractationem de Miſſæ Sacrificio.

EGREGIA in primis, ac præſtantiſsima eſt pertractatio de ſacro ſancto, & excellentiſsimo Miſſæ Sacrificio, quem valoré obtineat, quemúe fructum efficiat in vniuerſali Eccleſia. Quandoquidem grauiſsima, & profundiſsima eſt contemplatio; atque perdifficilis, & ſummopere perplexa; necnon vtiliſsima, ac demum iucundiſsima eſt inquiſitio.

Eſt quidem profunditate grauis, & gra- Eſt profunda.

nitate profunda. Tùm primò, quia de Sacrificij virtute finita, vel infinita diſcutiendum eſt. Tùm ſecundò, quia materia eſt non modò ſpeculatiua, verùm etiam practica. Speculatiua quidem, quoniam ſpeculatur, & quidditatem, & proprietates Diuini huius myſterij. Practica verò, quippe ex quo grauiſsima illa quęſtio pendet: An pluribus vna & eadem Miſſa poſsit applicari, vel pro vno tantùm valeat celebrari. Tùm

Matth. 16. Luc. 22.

tertiò, quia reſpicit, & fidem, & mores. Reſpicit ſanè fidem, nempè ſcripturæ ſacræ expoſitionem; illud videlicet, Corpus hoc frangetur, & ſanguis iſte pro vobis, & pro multis effundetur in remiſtionem peccatorum. Ac etiam determinationem Conciliorum, præcipuè Trid. quod vtiq; de hoc Diuino myſterio, deq; illius vberrimo fructu (vt ipſius verbis vtar) apertè proponendo exponit, ac exponendo proponit: reſpicit nihilominus mores, nempè Chriſtiani deuotionem augendo, vel minuendo, ac venerationem; necnon Miſſarum frequentem, vel raram celebrationem.

Eſt difficilis.

Eſt etiam valdè difficilis inueſtigatio. Vel primò, quia ſcripturę Diuinę, atq; Concilia & Sācti Patres nō apertè loquuntur de pręſenti

ſenti materia. Vel ſecundò, quoniam hinc inde oppoſitę omninò inueniuntur in Theologis opiniones; Tùm ſimpliciter inter Theologos vniuerſaliter; tùm etiam apud S. Thomæ diſcipulos, & ſectatores; eoſque omni ex parte grauiſsimos, ac eruditiſsimos. Vel tertiò, quia pro vtraq; opinione contraria ferè introducta eſt conſuetudo. Vtilis quoque ſummopere apparet. Primò quidē, quatenùs hinc manifeſtè innoteſcit Diuini huius excellentia Sacrificij, ac præclariſsima virtus. Secundò verò, quia ex hoc totius vtilitas Eccleſię pendet, tàm in viuentibus, quàm in defunctis. Tertiò quoq; quoniam propter hoc excitantur fidelium mentes ad deuotionem, ac venerationem; ex qua vberrimum percipiunt fructum.

Demùm iucundiſsima extat. Tùm primò, quia ex vtilitate maxima grandis neceſſariò proficiſcitur cordis lætitia. Tùm ſecundò, quia ex grauiſsimæ materiæ declaratione ſummopere animus oblectatur. Tùm tertiò, quia ex rei difficillimę clara explicatione ſumma prorſus ſuauitas percipitur. Igitur nobiliſsimam hanc ingrediamur, & aggrediamur prouinciam, Dei Opt. Max. auxilio ſubnixi, atque Beatiſsimæ Virginis Eſt iucū da.

adminiculo ſuffulti; necnon ſancti Thomæ Angelici, & Eccleſiaſtici Doctoris ope adiuti.

CAPVT II.

Præmittuntur fundamenta veritatis.

MVLTA in primis prænotabimus ad facilem, claram, atq; completam preſentis inueſtigationis expoſitionem. Primum materia hęc potius ad Theologos pertinet, quàm ad Canoniſtas. Cuius ratio multiplex eſt, &
Eſt materia Theologica. manifeſta. Tùm quia Theologi munus eſt ſubſtantiam, virtutem, & effectum ſpeculari, ſicut Sacramentorum Eccleſię, ſic ſacrificij, quod exhibetur in Miſſa. Tùm quia hęc contemplatio verſatur circa explicationem ſcripturæ diuinæ, videlicet, Pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsio-
Matth. 26. nem peccatorum, quæ verba ex Euangelijs aſſumpta in ipſa huius myſterij conſecra-
Mar. 14. tione ex Apoſtolica traditione à Sacerdote
Luc. 22. proferuntur. Tùm quia materia hæc de ſe ſpectat ad fidem, & ad mores, at verò fi-

dem declarare, atq; agere de merito, & peccato, Theologorum peculiare officium eſt. Tum denique, quia hæc ſpeculatio eſt iuris diuini non poſitiui. Vnde & ipſi Canones nihil videntur de hoc pertractare, vel determinare.

Secundum. Euchariſtia apud Patres, ac Theologos dupliciter accipi ſolet. Vel vt Sacramentum, vel vt Sacrificium, eſt enim vtrunque, & vtroque modo excellentiſsimum. Sacramentum quidem, tanquam reliquorum omnium Sacramentorum finis; antiquorum nempè tàm legis Moſaicæ, quàm naturæ, remotus; nouorum autem quaſi proximus. Vnde appellatur, & Euchariſtiæ Sacramentum, & Euchariſtiæ Sacrificium: nihilominus ratione Sacrificij potius quam Sacramenti ſub Miſſæ vocabulo recenſetur. Sacrificium verò, quia vnicum, ac penitus ſingulare, atque diuinum; manet in Eccleſia. Vnde peculiari vocabulo dicitur Miſſæ Sacrificium. Euchariſtia, vt Sacramentũ, & vt Sacrificiũ.

Tertium. Miſſa ad ſui complementum duo continet, orationem, & oblationem; oblatio eſt in ea principale, & eſſentiale, ac etiam finis orationis: vnde ratione oblationis propriè, non rationo orationis, Sacrifi- In Miſſa eſt oratio, & oblatio.

cium nominatur. Veruntamen licet accipiatur in præſenti non pro Sacramento, ſed pro Sacrificio; ſumitur nihilominus, & pro oblatione, & pro oratione; primariò tamen prooblatione; hoc enim præſefert ipſius Sacrificij nomen.

Miſſa dicitur ſacrificiũ propriũ. Quartum, appellatur Miſſæ Sacrificium, non latiſsimè extendendo Sacrificij nomen ad omne bonum opus in honorem Dei exhibitum, prout omnes fideles, ac præcipuè iuſti, non falsò gloriantur dicentes; Feciſti nos Deo noſtro Sacerdotes; ſicut etiam ſcriptum eſt; Erunt offerentes ſacrificia in iuſtitia. Nec etiam latè, vt ſignificat communiter oblationem, eſt enim oblatio genus, Sacrificium verò ſpecies, ac digniſsima inter alias oblationes; ſed accipitur propriè, vt oblatio, & actus religionis ſpecialis, actus inquam, non omnis virtutis, ſed religionis; non quicunque, ſed ſingularis; ac præclariſsimus: ad quem profectò requiritur, non tantùm interior mentis oblatio, ſed etiam externa aliqua actio. (Apoc. 5. Malach. 3.)

Definitiones ſacrificij. Quintum, Sacrificij definitio ſolet apud Theologos his modis proponi. Vel primò; Sacrificium eſt oblatio externa facta ſoli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis

tatis, & profeſsionem Diuinæ Maieſtatis à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens, ritu miſtico conſecratur, & permutatur; quæ definitio facile ex Diuo Thoma depromitur. Vnde colligitur, quòd Sacrificium Crucis, imò & Sacrificium Cœnæ Dominicæ, ac etiam Sacrificium Miſſę verè, imò & propijſsimè ſunt Sacrificia. Vel ſecundò; Sacrificium Miſſæ eſt oblatio panis, & vini facta ſoli Deo, vt ſupra, qua conſecratur in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Vel tertiò; eſt ſacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri oblatum per miniſtrum legitimũ, puta Sacerdotem, pro ſalute omnium fidelium viuorum, ac defunctorum.

Sextum, ſicut ſacramenta nouæ legis valorem, ſeu virtutem habent, & fructum, vel effectum producunt; ita & ſacrificium Miſſæ; quod etiam eſt ſacramentum, ſed tamen vt ſacramentum prodeſt ſumentibus ſolũ; vt ſacrificium verò prodeſt non modò ſacrificanti, vel offerenti, ſed etiam cęteris. Cæterum offerre ſacrificium Miſſæ dicitur non tantùm Sacerdos, qui ſingulariter offert, ſed alij quoq; aliquo modo. Generaliter quidem omnes fideles; ſpecialiter ve- Plures dicuntur offerre ſacrificiũ.

rò omnes, qui aliqua ſpeciali actione concurrunt, vtputa Miniſtrantes, Aſsiſtentes, ſeu Circunſtantes, Petentes, ſeu Rogantes Miſſam, & prębentes eleemoſynam, vel ſtipendium. Quę omnia tanquam veriſsima ſupponuntur, & à Theologis omnibus etiã aduerſarijs proculdubio conceduntur. Ex his autem colligitur, quòd triplices ſunt offerentes. Aliqui habitualiter ſolum, vt omnes fideles in communi, etiam neſcientes, vel non cogitantes. Aliqui verò actu, vt miniſtrantes, & circunſtantes, & Sacerdos celebrans. Aliqui verò cauſaliter, ideſt qui ſunt cauſa vt à Sacerdote Sacrificium offeratur.

A multis offertur Miſſę ſacrificium.

Septimũ. Sacrificium Miſſę offertur multipliciter. Primò, ab ipſo Domino Ieſu Chriſto, principali Sacerdote, vel offerente; qui non quidem per ſe, ſed Sacerdotum miniſterio, ſeipſum offert, vt explicat Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. Secundò, à Sacerdote, Chriſti & Eccleſiæ legitimo, ac publico miniſtro; qui licet vt Chriſti miniſter, eſt inferior; tamen vt miniſter Eccleſiæ, ſuperiorem obtinet locum, tanquam mediator inter Deum, & Eccleſiam, ideſt populum. Et quamuis vtriuſque dicatur

miniſter; magis tamen Chriſti miniſter appellatur. Tertiò, à fidelibus, qui vt dictum eſt, vel ſpecialiter, vel generaliter offerunt. Planè Populo, & Sacerdoti prodeſt hoc ſacrificium ad ſalutem, & vtilitatem. Chriſto autem Domino ſolum ad gloriam, & honorem.

Octauum. triplex erat antiquitus ſacrificium. Primò. Honorarium, ideſt ad honorem, & cultum Diuinæ Maieſtatis; & vocabatur Holocauſtum. Secundò. Propitiatorium, ideſt pro peccatis; & dicebatur, Hoſtia pro peccato. Tertiò. Pro beneficijs; & appellabatur Pacifica, vel Hoſtia pacifica. Et hoc erat duplex; Pro beneficijs acceptis gratiarum actio. Pro beneficijs accipiendis ſupplicatio. Secundum quoque ſubdiuiditur in Propitiatorium ſtrictè, ideſt pro culpa, & Satisfactorium pro pœna. Cùm autem ſacrificia omnia antiqua eminenter in ſacrificio Miſſę contineantur, conſequitur quòd hoc ſacrificium eminenter eſt, & honorarium, vel holocauſtum, totum enim in Dei honorem offertur; & propitiatoriũ pro culpis; & ſatisfactorium pro pœnis: & laudis, vel gratiarum pro beneficijs acceptis; & impetratorium pro beneficijs accipiendis.

Antiqua ſacrificia triplicia.

Miſſa cõtinet omnia ſacrificia antiqua

piendis. Quæ ferè omnia traduntur apertè in Conc. Triden. eadem ſeſſ. 22. exprimitur enim quòd offertur pro culpis etiam ingentibus, pro pœnis, & pro alijs neceſsitatibus, & fructum Dominicę Paſsionis vberrimũ gignit in Eccleſia; quod ipſum comprobat communis vſus Eccleſiæ, quæ ad vniuerſa prædicta Miſſas celebrare conſueuit.

Sacrificiũ eſt propitiatorium, ſatisfactoriũ, & impetratoriũ.

Nonum, quãquam hoc ſacrificium prodeſt ad omnia prædicta ſimpliciter, nihilominus ſpecialiter eſt Propitiatorium pro culpis: Satisfactorium pro pœnis: & impetratorium pro gratijs, vel beneficijs. Et meritò Concilium hæc exprimit, & exponit. Ratio verò eſt. Tùm quia eſt applicatio ſacrificij cruenti in Paſsione Dominica exhibiti iuxta D. Tho. Ioan. 6. lect. 6. ac etiam ſacrificij in Cœna Dominica oblati, quæ ambo propter omnia prædicta ſimpliciter, & ſpecialiter ad hęc, oblata ſunt. Tùm quia in verbis ipſius oblationis dicitur; Effundetur in remiſsionem peccatorum, quod aliàs legitur effunditur, frangitur; vt ſpecialiter intelligatur de ſacrificio incruento. Tùm etiam ex communi conſenſu Patrum, atq; Conciliorum, & Eccleſiæ vſu.

Luc. 22.

Valor.

Decimum, diſcrimen eſt loquendo pro-

prie

priè inter valorem, & effectum, ſeu fructum ſacrificij; nam valor eſt vis, ſeu virtus quaſi actus primus, & potentia proxima ad agendum; effectus autem, vel fructus eſt actus ſecundus, vel operationis terminus, quamquam multoties ambo confunduntur: Sic etiam ſacrificium etſi quandoque pro re oblata ſumitur, tamen potiſsimum, & in præſenti accipitur pro oblatione, videlicet Corporis, & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus panis, & vini. Solet etiam valor appellari ſufficientia, & effectus dicitur efficacia. & effectus differunt.

Vndecimum, ſacrificium Miſſæ eſt repreſentatiuum multipliciter. Primò, ſacrificiorum antiquorum, tàm legis naturæ, quàm ſcriptæ. Secundò, ſacrificij cruenti in Paſſione Domini exhibiti. Tertiò, ſacrificij incruenti in Dominica Cœna oblati. Sacrificiũ eſt repreſẽtatiuum

Duodecimum, multæ ſub præſenti titulo quæſtiones inuoluuntur. Primò, An valor, & ſufficientia Miſſæ ſit finita, vel infinita. Secundò, An effectus, vel efficacia Miſſæ ſit finita, vel infinita. Tertiò, An Miſſæ ſacrificium proſit ex opere operantis, vel ex opere operato. Quartò, An valor, & fructus Miſſæ ſit ſimplex, vel multiplex. Quintò, An Miſſa vna poſsit pluribus applicari Plures quæſtiones includunt

ſine

ſiue detrimento ſingulorum. Sextò, An plures eleemoſynæ, vel ſtipendia recipi poſſint pro vna, & eadem Miſſa celebranda. De quibus ſingulis quęſtionibus diſcutiendum eſt.

CAPVT III.

An valor, vel ſufficientia Miſſæ ſit finita, vel infinita.

Declaratur infinitas valoris.

QVANTVM ad primam quęſtionem ſunt opiniones oppoſitę. Prima, quòd Miſſæ valor eſt finitus. Secunda, quòd eſt infinitus, ex quibus ſecunda eſt ſimpliciter vera. Pro cuius expoſitione duæ ſtatuuntur aſſertiones. Prima, Valor ſacrificij Miſſæ non eſt finitus. Quę declaratur, probatur, & defenditur.

Declaratur primò, accipitur valor pro virtute, ac ſufficientia, nõ pro effectu, & efficacia, de hoc enim in ſecunda quęſtione diſcutietur. Secundò, infinitas eſt duplex, vel negatiua, ideſt non determinata ad hoc, vel illud, vel poſitiua, ideſt actu ſine fine. Modo

ſuffi-

ſufficit nobis infinitas negatiua quamuis etiam poſitiua aliquo ſenſu verificetur. Tertiò, Valor, ſeu virtus cōſideratur dupliciter, vel intenſiuè quoad gradus virtutis, & potẽtię. Vel extenſiuè quoad obiecta, ad quę extenditur. Hæc etiam extenſio bifariam reperitur. Primò, quoad perſonas recipientes ſacrificij fructum. Secundò, quoad effectus à ſacrificio productos. Nũc ergo accipitur de valore tàm intenſiuo, quàm extenſiuo; ac etiam tàm circa perſonas, quàm circa effectus. Quartò, valor adeſt dupliciter. Primò, ex opere operantis .ſ. Miniſtri, & offerentis, vel facientis offerre, nempè deuotionis eius. Secundò, operis (vt aiunt) operati, id eſt ipſius Sacrificij de natura eius; quamquàm ſi operans intelligitur Chriſtus offerens principalis potius ſe tenet ex parte operati, quam operantis. Nunc autem ſumitur de valore operis operati.

Probatur, autem auctoritate, & ratione. Auctoritate, Primò Sancti Thomę pluribus in locis, ſed pręcipuè Ioannis 6. ſacrificium Miſſæ eſt vniuerſalis cauſa omnium effectuum gratię. Cum quo conſequenter conueniunt eius diſcipuli. Probat valor infinitus auctoritate.

Secundò, ipſius Concilij Triden. Seſſ. 22. cap. 1.

cap.1. Menſa Domini per varias ſacrificiorum naturæ, & legis tempore ſimilitudines figurabatur, vtpotè quæ bona omnia per illa ſignificata velut illorum omnium conſummatio, & perfectio complectitur. At certè virtus cauſæ vniuerſalis, & continentia bonorum omnium, finita non eſt.

Item cap.2. per hanc oblationem incruentam fructus oblationis cruentę vberrime percipiuntur; conſtat autem, quòd perceptio fructuum vberrima requirit virtutem non determinatam.

Itē ibidem ſubditur. Et canon.3. offertur pro fidelium viuorū peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſsitatibus. Sed hæc indicant virtutem infinitam.

Adhuc ibi ſubditur. Etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis offertur; ſed manifeſtum eſt peccata, & neceſsitates defunctorum non eſſe determinatas. Item infra circa finem. Huius ſacrificij ſanctiſsimi pretioſus eſt, ac cœleſtis fructus: ſicut autem pretioſus dicitur ſanguis Chriſti, quia infinitam habet virtutem; ita fructus ſacrificij dicitur pretioſus, quia ex infinita virtute proficiſcitur. Veruntamen omnes iſtæ Concilij ſententiæ inſinuant

apertè, non modò infinitum valorem, vel ſufficientiam, verumetiam fructum, & effectum indeterminatum.

Rationibus autem comprobatur. Primò, ſacrificium Miſſæ eſt impletiuum figurarum omnium, antiquorum ſacrificiorum, & virtutem illorum continet eminenter, ideſt multo excellentius; ſed illa omnia ſimul habebant virtutem aliquo modo infinitam, etſi nõ effectiuè, ſaltem autem ſignificatiuè, cùm fuerint tot tamq; diuerſa locis & tẽporibus, ergo, & iſtud continet infinitã virtutẽ, non ſolum ſignificatiuè, ſed actiuè. Probatur rationib⁹.

Secundò, hoc ſacrificium eſt repreſentatiuum ſacrificij cruenti, tanquam per quod percipiuntur fructus illius vberrimè, vt dictum eſt ex Concilio Triden. ſed illud virtutem habuit infinitam, ergo, & iſtud, quod eſt illius applicatio.

Tertiò, hoc ſacrificium eſt exemplatum à ſacrificio Cœnę incruento, imò eſt idem; ſed illud fuit infinitæ virtutis, ergo, & iſtud.

Quartò, ſicut per ſacramenta fructus cruenti ſacrificij quaſi partialiter applicatur, eoquè ſacramenta proſunt ſumentibus tantùm; ita per ſacrificium Miſſæ quaſi totaliter applicatur cruenti ſacrificij fru-

ctus, vt concluſio declarauit: hæc autem totalitas deſignat infinitam virtutem.

CAPVT IV.

Confirmatur vniuerſaliter præfata concluſio.

PRAETEREA vniuerſaliſsimè confirmatur ex omnibus quę ad hoc ſacrificium concurrunt. Sunt autem. Primò agens principale, ideſt Chriſtus. Secundò Eccleſia. Tertiò Miniſter, puta Sacerdos. Quartò finis. Quintò materia. Sextò forma. Profectò principale agens, ideſt, Chriſtus bifariam cõſideratur, Vt inſtituẽs hoc ſacrificium, iuxta illud; Hoc facite in meam commemorationem; ac etiam, Vt offerens; nam vt Conciliũ aſſerit, ipſe Chriſtus Sacerdotis miniſterio ſeipſum offert. Liquet autem Chriſtum virtutem habere infinitam. Eccleſia quoq; non quaſi idipſum inſtituens, ſed potius à Domino inſtitutum proſequens, per hoc ſacrificium vniuerſalem omnium fidelium quaſi mater filiorum

Ex parte Chriſti.

Luc. 22.

liorum

liorum ſalutem intendit; ideſt omnium malorum remotionem, & bonorum omnium ſuſceptionem; quòd vtique virtutem exigit infinitam.

Miniſter etiam, ideſt Sacerdos, cùm virtutem participet à principali, & intentionem eandem habeat, quam habet, ſiue ipſe Chriſtus, ſiue Eccleſia (Eſt enim publicus pro omnibus fidelibus miniſter) inſinuat apertè aliquo modo infinitam virtutem: propterea enim in ſua ordinatione Sacerdos in forma ordinis ſacerdotalis audit ab Epiſcopo; Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis. Sed etiam cauſæ omnes præſeferunt infinitam virtutem; etenim Finis eſt ipſamet totius Eccleſiæ ſalus. Ex parte Miniſtri.

Materia quoque, videlicet Chriſti Domini Corpus, & Sanguis, in quo omnes fideles communicant, (vnde & communio appellatur) eandem virtutem ſignificat. At verò forma, exemplaris quidem, eſt ſacrificium cruentum in Cruce, nec non incruentum in Cœna; de quibus ſupra dictum eſt habere virtutem infinitam. Ex parte materiæ.

Forma verò intrinſeca, ideſt natura, & definitio Miſſæ idem manifeſtè indicant; Ex parte formæ.

quæ definitio ſuperius eſt aſsignata. Nihilominus, & forma quaſi exterior, ideſt ſolemnis celebratio Miſſæ ex omni parte denotat infinitam virtutem, includit enim oblationem, & orationem.

Ex oblatione. Ex parte oblationis ſæpiſsimè hoc maniſeſtè oſtenditur. Tùm in oblatione poſt offertorium dicitur. Primò, Meam, & omnium ſalutem operetur æternam. Secundò, dicitur, Fiat ſacrificium noſtrum, ideſt omnium fidelium. Dicitur tertiò, Meum, ac veſtrum pariter ſacrificium; Quæ vtique tria virtutem vniuerſalem, & conſequenter infinitam demonſtrant.

Ex Canone. Tùm in ipſo Canone, ex quo oſtenditur omnino eſſentia, & virtus, & fructus ipſius oblationis, vel ſacrificij.

Primò. Semper omnia in numero plurali pronunciantur, nempè Rogamus, Petimus, Offerimus, & ſimilia; & certè non magis pro quibuſdam, quàm pro vniuerſis.

Secundò. Pro Eccleſia tua Sancta Catholica toto orbe terrarum; quid clariùs?

Tertiò. Omnibus orthodoxis, atque Catholicæ fidei cultoribus.

Quartò. Sacrificium laudis pro ſe, ſuiſq; omnibus.

Quintò,

Quintò. In omnibus protectionis tuæ muniantur auxilio. Vide infinitam virtutem.

Sexto. Cunctæ familiæ tuæ.

Septimò. In vtroque Reſurrectionis, & Spiritus Sancti feſto dicitur. Pro his quoq; quos regenerare dignatus es. At certè hi non ſunt determinati.

Octauò. Dies noſtros in tua pace diſponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.

Nonò. Manducate ex hoc omnes, & Bibite ex eo omnes: Quod non modò de ſacramentali externa aliquorum, ſed etiam de ſpirituali omnium quoad fructum manducatione, ac potatione intelligendum eſt.

Decimò. Pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quæ quidem verba in ipſa conſecratione proferuntur, & multipliciter poſſunt exponi. Primò. Pro vobis quoad efficaciam, & fructum: Pro multis quoad ſufficientiam, & virtutem. Secundò. Pro vobis Apoſtolis, & pro multis alijs, ideſt fidelibus viuis, & defunctis. Tertiò. Pro

Exponuntur verba cõſecrationis.

vobis electis quoad efficaciam, & pro multis reprobis fidelibus quoad ſufficientiam, & intentionem. Quartò. pro vobis offerentibus, & pro multis pro quibus offertur. Quintò. pro vobis in Miſſa ſumentibus per modum Sacramenti, & ſacrificij, pro multis verò per modum ſacrificij accipientibus. Sextò. pro vobis ſpeciali ratione, & pro multis generaliter.

Vndecimò. Nos ſerui tui, & plebs tua ſancta offerimus. Et quotquot ex hac Altaris participatione ſumpſerimus: quod intelligi poteſt de ſumptione, non modò per modum ſacramenti in ſpeciali, ſed etiã per modum ſacrificij in generali.

Duodecimò. Omni benedictione cœleſti,& gratia repleamur.

Decimotertiò. In commemoratione defunctorum: omnibus in Chriſto quieſcentibus.

Decimoquartò. Per quem hæc omnia bona præſta nobis.

Decimoquinto. Oratio Dominica; quæ profertur in virtute ſacrificij, affert omnia bona,& omnia remouet mala.

Decimoſextò. Libera nos ab omnibus malis præſentibus, præteritis, & futuris,

nempè

nempè per virtutem ſacrificij huius excellentiſsimi; proculdubio quomodo potuit clarius explicari virtus illius infinita?

Decimoſeptimò. A peccatis ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

Decimooctauò. Fiat omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis; ſumentibus inquam, non modò ſacramentaliter, ſed ſed etiam (vt ita loquar) ſacrificialiter.

Decimononò. Ad vitam æternam promerendam, atque capeſcendam præparatio ſalutaris.

Vigeſimò. Poſt benedictionem dicitur: Omnibus pro quibus illud obtuli ſit te miſerante propitiabile.

Cæterum etiam ex parte orationis, quæ adhibetur in Miſſæ celebratione, & virtuti ſacrificij innititur, inſinuatur illius infinita virtus, & valor. Primò, quia oratur pro omnibus fidelibus, vt ex ſupra dictis apparet. Secundò, quia oratur pro omnibus bonis comparandis. Vnde illud; Omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur. Tertiò, quia oratur contra omnia mala, iuxta illud; Libera nos ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris. Quartò, quia miniſter Sacerdos orat vice omnium fide- Ex parte orationis.

lium, ac totius Eccleſiæ. Quintò, quia oratio Sacerdotis eſt exemplata ab oratione Chriſti, qui pro omnibus orauit. Sextò, quia in Miſſa oratur maximè ſecundum Dei voluntatem, quæ vtiq; eſt de omnium fidelium ſalute. Septimò, quia oratio impetrat ratione fidei, quæ tanto maior eſt, & tanto maior eſſe oſtenditur quanto pro pluribus poſtulat. At in Miſſa pro omnibus oratur. Octauò, quia oratio in Miſſa innititur non orantis merito; ſed pietati Diuinæ, quæ infinita eſt. Nonò, quia innititur Chriſti meritis, quæ ſunt infinita; Vnde ſemper in fine orationum per totam Miſſam exprimitur; Per Chriſtum Dominum noſtrum. Decimò, quia oratio illa innititur meritis omnium ſanctorum, quę ibi pluries implorantur, & ſaltem in Canone tribus vicibus, ſ. ante conſecrationem, & poſt commemorationem defunctorum, & ante Agnus Dei. Vltimò, quia oratio in Miſſa non ſe habet generali modo, vt aliæ orationes, ſed ſpeciali, vel etiam ſingulari; contendit enim, & intendit virtute ſacrificij aſſequi bona vniuerſa. Profectò omnia iſta luce clariùs infinitam ſacrificij virtutem, etiam cæcutientibus demonſtrant.

CAPVT

CAPVT V.

Reſpondetur Argumentis.

DEFENDITVR quoq; veritas noſtræ ſententiæ ab aduerſariorũ obiectis. Primùm. Etſi in Cruce fuerit infiniti valoris ſacrificium, non tamen in Miſſa. Tùm primò, quia eſt oblatio Eccleſiæ, & miniſtri non Chriſti. Tùm ſecundò, quia vnica eſt oblatio Chriſti, quæ iterari non poteſt, ad Hebr. 10. Tùm tertiò, quia eſt commemoratio paſsionis, non paſsio ipſa. Tùm quartò, quia valor penſatur quoad efficaciam, non quoad ſufficientiam, ſed efficacia finita eſt, ſicut in ſacramentis. Sol. prĩ. argu.

Reſp. Negatur omninò aſſumptum abſolutè, ſed ſacrificium tàm in Cruce, quàm in Cœna, quàm etiam in Miſſa eſt infiniti valoris, eſt enim (vt refert Concil. Trident. loco citato) vna, & eadem Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit: & meritò

àddi poteſt, qui ſeipſum tunc in Cœna obtulit; & ſola ratio offerendi diuerſa eſt. Nam in primis, ideſt in Cruce, & in Cœna fuit propriè meritorium, & ſatisfactorium; in Cruce cruentum, & conſummatum; in Cœna incruentum, & quaſi inchoatum; in Miſſa verò eſt incruentum, & applicatum, etſi nō meritorium, vel ſatisfactorium; quatenùs Chriſtus non amplius meretur, vel ſatisfacit. Eſt tamen propitiatorium, & impetratorium, & conſequenter ſatisfactorium quatenus ſaltem applicat cruenti ſacrificij ſatisfactionem: imò & eius meritum. Cùm igitur ſit idem realiter ſacrificium, ſola differens ratione offerendi, eandem in omnibus habet infinitam virtutem. Et quidem inchoatio in Cœna, & conſummatio in Cruce intelligitur quoad Dei ordinationem; cùm tamen abſolutè etiam in Cœna infinitè meruerit. Necnon inchoatio potius accipitur quoad exteriorem oblationem; nam quoad interiorem cœpit in ipſo conceptionis inſtanti ſimpliciter; appropriatè tamen dicitur incœpiſſe in Cœna, & conſummatum eſſe in Cruce. Itaque in Miſſa non eſt propriè meritorium, vel ſatisfactorium infinitè, intrinſecè ex parte

offerentis

offerentis; ſed quaſi extrinſecè per applicationem infiniti meriti,& ſatisfactionis ſacrificij in Cœna, & in Cruce. Eſt tamen impetratorium infinitè, ſicut etiam honorarium,& laudis,vel gratiarum actionis infinitæ.

Ad primum, negatur aſſumptum, imò eſt oblatio Chriſti,ſicut etiam eſt conſecratio Chriſti. Nam ſicut in ſacramentis principalis baptizans,& abſoluens eſt Chriſtus, in cuius virtute miniſter baptizat, & abſoluit; ita, imò multò amplius in hoc ſacrificio principalis conſecrans, & offerens eſt Chriſtus; quoniam miniſter non modò in virtute Chriſti non propria, ſed etiam in perſona illius non ſua loquitur; Hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Sanguis meus; vtique Chriſti non ſacerdotis. Eſt ergo oblatio, Tùm Chriſti principalis offerentis, Tùm Sacerdotis, & Eccleſiæ; Sacerdotis quidem, vt miniſtri, Eccleſiæ verò, vt pro qua ſacrificium offertur. Soluitur prima ratio.

Ad ſecundum; oblatio Chriſti,quæ iterari nõ poteſt,& eſt vnica,eſt oblatio cruenta in Cruce; alioquin præceſsit oblatio in Cœna incruenta; & ſequitur repetita in Miſſa incruenta; quæ non modò iterari po- Soluitur ſecunda.

teſt,

teſt, ſed etiam præcepta eſt ab ipſo Chriſto, Hoc facite in meam commemorationem; cùm tamen à Concilio dicatur eadẽ oblatio; differens ratione offerendi.

ſoluitur tertia. Ad tertium. Sacrificium Miſſæ non modò repræſentat, & commemorat ſacrificiũ Crucis, ſed eſt ipſummet miſticè; vnde dici poteſt Paſsio miſtica, & applicata.

ſoluitur quarta. Ad quartum: Valor propriè ſignificat actum primum, & ſufficientiam, & ita modo loquimur: effectus verò reſpicit actum ſecundum, & efficaciam; de qua inferius erit ſermo. Dato ergo, & non conceſſo, quòd efficacia finita ſit, non tamen ſufficientia, & virtus; patet enim in multis efficaciam non reſpondere ſufficientię, neque actum primum exhauriri per ſecundum; quamquam, & efficacia aliquo modo eſt infinita, vt oſtendetur: imò & in ſacramẽtis nõ eſt in ſe finita, ſed ratione ſubiecti, quod eſt diuerſo modo diſpoſitum, cuius diſpoſitioni Sacramenti effectus proportionaliter reſpondet.

ſecundũ argum. Secundum. Caiet. tom. 2. quodli. trac. 3. nullam tribuit virtutem ſacrificio ex opere operato; ſed tantùm ex deuotione, ergò nullam habet de ſe virtutem. Reſpon.

Primò,

Primò negatur conſequentia, nam dato, quòd ille non tribueret, ſacrificium tamen de ſe haberet. Reſpondetur ſecundò, negando antecedens, dicitur enim quòd habet effectum de ſe, ſed non de ſe determinatum, ſed tantùm ex proportione deuotionis. Hoc autem non negat, ſed ponit virtutem in ſacrificio; imò & de ſe infinitam, ſed per aliud determinatam; ſicut etiam contingit in ſacramentis, vt infra explicabitur.

Tertium. Eccleſiæ intentio, ſcilicet Sacerdotis, eſt finita, ergo, & virtus ſacrificij. Reſpondetur. Negatur antecedens; Tùm quoad gradum, & intenſiuè, quia intendit prodeſſe omnibus iuxta cuiuſq; indigentiam, & diſpoſitionem; & ſic eſt infinita quoad effectus. Tùm quoad perſonas, quia pro omnibus offert indifferenter, alioquin miniſter, & Eccleſia non conformarentur, imò & aduerſarentur intentioni Chriſti inſtituentis, & principalis offerentis; eſt tamen aliquo modo finita intentio quoad ſpecies, vel genera effectuum; ac etiam ex ſubiecto finitè indigente, & diſpoſito. Adhuc etiam ſi daretur intentio miniſtri, vel Eccleſiæ finita, incon- tertiũ argum.

grue

gruè inde colligitur, finita ſacrificij virtus.

Quartum. Diuus Thomas non habet ſacrificij virtutem eſſe ex ſola deuotione offerentis, ſed magis ex ea; ergo etiam ex ſe habet valorem, ergo finitum. Reſpondetur; Argumentum procedit de fructu; vel effectu, non de valore, vel virtute. Alioquin vltima conſequentia negatur; non enim ſequitur, ſacrificium ex ſe valorem habet, ergo finitum. Quinetiam Sanctus Thomas habet, quòd nō ſolum res oblata, ſed etiam ipſa oblatio, nempè quæ per Sacerdotem exhibetur, ex ſui quantitate ſufficit pro omni pœna. Ergo per Diuum Thomam infinitum habet valorem. Quare manifeſtè Sotus diſſentit à Diuo Thoma.

Quartū argum.

Quintū argum.

Quintum. Deuotio Sacerdotis eſt finita, ergo, & intentio. Reſpon. primo negatur conſequentia. Tùm quia intendit pro omnibus indifferenter offerre, vt ex verbis ipſius Canonis manifeſtum eſt. Tùm etiam quia ſi nulla eſſet deuotio Sacerdotis, nulla eſſet intentio, quod eſt abſurdum; niſi fortè ipſa fides, & intentio Sacerdotis deuotio nuncupetur. Secundò, Deuotio eſt priuata, ideſt Sacerdotis, vt eſt homo ſingularis, ſed intentio eſt publica, ideſt Sacerdotis, vt mini-

vt miniſtri Chriſti, & Eccleſiæ, ſiue ipſius Chriſti, & Eccleſiæ intendentis per miniſtrum offerre pro omnibus commune ſacrificium.

CAPVT VI.

Soluuntur alia argumenta.

ADHVC ſextum; Sacramenta etiam habent finitum valorem, ergo, & ſacrificium. Reſp. Primò, negatur conſequentia. Tùm quia ſacramenta proſunt ſumentibus tantùm, ſacrificium verò prodeſt omnibus, pro quibus offertur: Tùm etiam quia in ſacramentis particulariter applicatur virtus Dominicæ Paſsionis, in ſacrificio verò totaliter applicatur; cùm ſit idem ipſum cum ſacrificio Paſsionis. Reſpondetur ſecundò, negatur antecedens, quia ſacramenta quantum eſt de ſe poſſunt indifferenter effectum omnem producere; vtputa pœnitentia poteſt omnia peccata dimittere, quę in pœnitente reperiuntur; ſed ex parte ſubiecti finitum ſortiuntur effectum.

Sextum argum.

Bellar. 8. arg. Septimum. Eſt communis ſententia Theologorum, quòd ſacrificium habet virtutem finitam. Reſpondetur. Aequiuocatur de virtute, & de effectu virtutis; quamuis ſit finitus effectus, virtus tamen eſt infinita. Theologi ergo ponunt effectum finitum, ſed non virtutem; quinimò etiam effectus per accidens ex diſpoſitione offerentis, vel eius pro quo offertur, eſt finitus, non per ſe de natura ſua. Reſpond. ſecundò, Si accipitur propriè valor pro virtute, negatur antecedens, quia S. Thomas, & eius ſectatores, immò ferè omnes Theologi oppoſitum habent.

octauũ argum. Octauum. Vſus Eccleſiæ habet vt pro eadem re impetranda, plures celebret Miſſas, at ſi eſſet infinitus valor, ſuperfluè primæ adderentur aliæ. Reſpondetur. Hoc procedit de effectu, non de valore; idque contingit propter finitam deuotionem, ac diſpoſitionem, non propter finitum ſacrificij valorem.

nonum argum. Nonum. Sacrificium Crucis ideò non iteratur, ſed eſt vnicum, quia valorem habet infinitum, ergò incruentum, quod iteratur, habet valorem finitum. Reſpond. Negatur antecedens, eſt enim fallacia, non

cauſę

cauſæ vt cauſæ. Siquidem ratio, quòd non iteratur ſacrificium non eſt formaliter valor infinitus; vt apparet primò in actibus Christi in tota vita ſua; omnes enim, & ſinguli infiniti fuerunt valoris, & tamen multiplicati ſunt. Secundò. In ſacrificijs ipſis, quia incruentum in Cœna fuit infiniti valoris, & tamen ſucceſsit ei cruentum in Cruce. Tertiò. In toto Paſsionis tempore multiplicati ſunt actus externi, & interni, omnes infinitum habentes valorem, vnde ipſum incruentum ſacrificium iteratur in Cœna, & in Miſſa, immò in pluribus Miſsis; & tamen ſemper habet infinitum valorem. Quinetiam arguens concedit idem eſſe ſacrificium Crucis, & Miſſæ, vt habetur ex Concilio Triden. ergò idem eſt valor. Neque obſtant differentię aſsignatæ.

Non prima. In Cruce deſtruebatur eſſe naturale Chriſti, in Miſſa verò eſſe ſacramentale. Reſpond. Argumentum probat maiorem fuiſſe valorem in Cruce, quàm in Miſſa, non quòd ſit finitus in Miſſa, immò infinitas valoris eſt in vtroque, ſed quia expreſsius in Cruce, quam in Miſſa. Propriè etiam valor infinitus non fuit ex deſtru- Soluuntur contraria. 1.

deſtructione vitæ naturalis Chriſti;ſed quia Filius Dei patiebatur, qui infinitè gratus eſt Deo; at verò etiam in Miſſa idem Filius Dei offert ſeipſum: reuera tamen,quia eſſe naturale Chriſti erat diuinum,tùm ratione perſonæ, tùm etiam ratione exiſtentiæ;etiā hoc modo dici poteſt infinitus valor; quod tamen arguens negat.

2 Non ſecunda. In Cruce Filius Dei per ſe offert,ſed in Miſſa per miniſtrum; ergò non idem valor. Reſpond. ſicut eadem eleemoſyna eodem modo valet, ſiue per ipſum dominum, ſiue per miniſtrum præbeatur; & dato, quòd plus valeat per dominum exhibita, nō tamen per miniſtrum poteſt eſſe finita, & per dominum infinita; ſic in ſacrificio eſt idem valor infinitus, ſiue in Cruce per Chriſtum ipſum oblato,ſiue per miniſtrum in Miſſa, immò idem eſt ſacrificium.

3 Non tertia. Etſi potuit Chriſtus velle vt per vnicum ſacrificium omnia impetrarentur, tamen noluit; ſed nihilominus per quodlibet ſigillatim certum fructum ſuæ paſsionis voluit applicari; tùm vt frequentaretur hoc ſacrificium; tùm quia id requirebat ordo diuinæ prouidentiæ.

Reſp.

Reſp. Primò, ratio hæc procedit de effectu, non de valore ; non enim debuit, immò nec potuit Chriſtus auferre infinitum valorem, qui eſt de natura ſacrificij huius ; cùm ſit ipſiuſmet infinitæ perſonæ oblatio.

Dicitur ſecundò, quis tibi reuelauit hanc voluntatem Chriſti ? immò Eccleſia contrarium inſinuat ; dum idem ſacrificium offert pro vniuerſis viuis, & defunctis.

Dicitur tertiò, ideò frequentatur, non quia valor eſt finitus, ſed quia effectus eſt finitus, propter finitam participationem ſubiecti. Quare diuina prouidentia diſpoſitionem noſtram finitam prȩuidens, ſapienter voluit frequentari.

CAPVT. VII.

Proponitur ſecunda concluſio.

POSSET adhuc confirmari virtus infinita ſacrificij Miſſȩ rationibus alijs, tùm à priori, tùm à poſteriori; ſed ne longiores ſimus, dimittuntur in præſenti, inferius aſſignan-

dæ in alijs aſſertionibus, & quæſtionibus.
Quare nunc ſecunda proponatur Aſſertio.

Secũda concl. declaratur.

Valor Sacrificij Miſſæ, non ſolum eſt infinitus intenſiuè quoad gradus virtutis, ſed etiam extenſiuè, tàm circa perſonas quibus prodeſſe poteſt, quàm circa effectus; non quidèm formaliter in ſpecie, & in genere, ſed materialiter, & numero differentes. Quæ aſſertio eſt declaratio, & expoſitio ſuperioris. Et intelligitur infinitas intenſiua, quia non habet de ſe tantam virtutem, quin maiorem; nec virtutem tollendi tot peccata, & non plura, vel dimittendi tantam pœnam, & non maiorem, vel conferendi tot beneficia, & non plura. Intelligitur etiam infinitas extenſiua, quia poteſt de ſe ſubuenire, vel prodeſſe non tot perſonis, quin pluribus; ſed omnibus, etiam ſi eſſent infinitæ; & ſimiliter poteſt conferre non tot bona, quin plura; ſed omnia, quę ad honorem Dei, & Chriſti Domini, & ad ſalutem totius Eccleſiæ, etiam ſi eſſent infinita, poſſunt conferre: omnia inquam, ſiue mala remouenda, ſiue bona conferenda.

Probatur.

Qua declaratione propoſita, probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate, tùm

S.Tho-

S.Thomę, Caietani, Sylue: Cano. Ruar. Vigue. tùm etiam inſinuatur à Concil. Tridentino, aſſerente offerre ſacrificium Miſſæ pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, & pro culpis, & pœnis, & ſatisfactionibus; & alijs neceſsitatibus. Ac demùm omnes auctoritates ad ſuperiorem aſſertionem adductæ, immò & rationes deſeruiunt etiam ad iſtam, cùm vtraque ſit eadem aſſertio magis, & minus explicata: Si enim conceditur valor infinitus, vtique & intenſiuè, & extenſiuè, tàm circa perſonas, quam circa effectus, eſt infinitus. Quemadmodum meritum Chriſti dicitur infinitum, & quaſi intenſiuè, quia non determinatur ad tot quaſi gradus virtutis; & extenſiuè, quia nõ determinatur ad tot perſonas, vel tot effectus; ſed indifferenter omnibus, & ad omnia valet, etiam ſi eſſent infiniti, vel infinita.

Defenditur etiam ab argumentis. Primum. Offertur tantùm pro fidelibus, ergo finitus eſt valor. Reſpond. Negatur conſequentia, quia fideles ſunt indeterminati numero, ſiue viuentes, ſiue mortui; & indigent bonis infinitis negatiuè. Tùm etiam dato quòd fideles eſſent finiti, & effectus *Reſp. argum. 1. arg.*

C 2 eſſent

eſſent finiti,non tamen ſequitur quin valor ſit infinitus : ſicut etiam Chriſti meritum quamuis finitum producat effectum in electis,tamen eſt infiniti valoris.

2. arg. Secundum , Effectus in genere pauci ſunt,nempè quatuor,vel quinque, ergo valor finitus. Reſpô. Tùm, negando conſequentiam , quia ſufficientia infinita manet cum efficacia finita . Tùm quòd effectus licèt in genere , & in ſpecie ſint finiti formaliter, tamen materialiter , & ſecundum numerum ſunt infiniti ſaltem negatiuè.

3. arg. Tertium , Infinitum intenſiuè non poteſt dari in creaturis, ergo &c.Reſp.primò, argumentum probat de effectu, non de valore ; alioquin meritum Chriſti non eſſet infinitum intenſiuè; vnde antecedens intelligitur de creaturis puris , non de Chriſto, qui in hoc ſacrificio ſeipſum offert.

Dicitur ſecundò, quòd ſacrificium de ſe aptum eſt producere infinitum effectũ, ſed non producit ex parte ſubiecti, quod vel non eſt capax, vel non eſt diſpoſitum niſi ad finitum effectum.

CAPVT

CAPVT VIII.

An effectus, vel efficacia Miſſæ, ſeu Sacrificij ſit finita, vel infinita.

QVANTVM ad ſecundam quæſtionem de efficacia, vel effectu ſacrificij in actu ſecundo ſunt opiniones oppoſitæ. Prima, quòd eſt omninò finita. Secunda, quòd de facto ex parte ſubiecti effectum recipientis, & propter eius diſpoſitionem eſt finita, tamen quantum eſt ex parte ſacrificij eſt infinita negatiuè, ideſt indeterminata: Et hæc ſecunda vera eſt.

Pro cuius expoſitione proponitur aſſertio, ſeu concluſio. Efficacia, & effectus ſacrificij de ſe non eſt finita, ſed ex parte ſubiecti, ac diſpoſitionis eius finitur. Quę declaratur, probatur, & defenditur. Concluſio

Declaratur primò, Differentia eſt inter valorem, ſeu ſufficientiam, & effectum, Declaratur. 1. Nota.

 ſiue

ſiue efficaciam; quod valor videtur ſiſtere in agente, & licèt ſit in ordine ad effectum, & patiens, non tamen in actu exercito, ſed ſignato; vel non actualiter, ſed in habitu; efficacia verò tendit omninò ad effectum in actu exercito; applicatur enim ad effectum in patiente; & quoniam applicatio exercita ſemper habet finitum effectum, potius determinata dicitur, quàm valor, qui in habitu conſideratur indeterminatus. Vnde valor dicitur ſimpliciter infinitus, non modò extenſiuè, ſed etiam intenſiuè, ac etiam poſitiuè, nedum negatiuè. Efficacia verò dicitur infinita negatiuè, ideſt indeterminata, non poſitiuè, quia non applicatur ad perſonas poſitiuè infinitas; nec ad effectum poſitiuè infinitum; vel ad effectus actu infinitos, ſaltem in hac vita.

Item valor ſiuè de ſe, ſiuè in ordine ad ſubiectum dicitur abſolutè infinitus, ſed efficacia dicitur infinita de ſe, ſed non abſolutè, quia finita eſt ex ſubiecto recipiente.

2. Not. Declaratur ſecundo, Efficacia proportionaliter dicitur indeterminata intenſiuè, & extenſiuè, ſubiectiuè, & obiectiuè, ideſt non ex ſe, ſed ex diſpoſitione patientis tan-

tum

tum gradum, vel tantam intenſionem efficit;& his,non alijs communicat;& hos tantum effectus, & non alios producit; eſt ergo de ſe indifferens ad omnem gradum in effectibus ſuis; & ad omnem effectum numero, & ſpecie, & quaſi genere; & ad omnem hominem fidelem,& infidelem, viuentem, & defunctum, quamquam hæc apertius ſufficientiam reſpiciunt, quàm efficaciam.

Declaratur tertiò, quòd concluſio hæc quamuis non ſit tàm euidens,quàm de valore; ſtante tamen declaratione prædicta facilè, ac manifeſtè oſtenditur; nam effectus quidem de facto ſemper eſt finitus in genere, ſpecie, indiuiduo, in gradibus, & perſonis; tamen determinatio iſta eſt per accidens ex capacitate, vel diſpoſitione patientis, non per ſe ex virtute, ſeu valore ſacrificij. 3. Not.

Declaratur quartò, quòd deuotio determinat effectum, ſeu quantitatem effectus ſacrificij, & ſic non ex determinatione operis operati, ſed operantis. Sanè principale fundamentum, in quo opiniones oppoſitæ diſcrepant,eſt, quòd Sacramenta, & ſacrificium habent ex ſe, vel ex opere ope- 4. Not.

rato effectum determinatum ſecundum alios,indeterminatum verò ſecundum nos. Et quidem ambæ opiniones concedunt opus operãtis augere effectum operis operati:vnde in adultis baptizatis maior eſt effectus, & gratia, quam in pueris; quia in adultis eſt etiam opus operantis; in pueris verò eſt tantùm opus operatum. At verò alij arbitrantur, quòd effectus operis operati ſemper eſt idem, & determinatus, & variatur ſolum ratione operis operantis. Nos autem ſentimus, quòd non modò opus operans variatur, ideſt diſpoſitio,& deuotio eſt maior, & minor; ac effectus eius, ideſt fructus illi reſpondens eſt maior, & minor; ſed etiam effectus operis operati variatur ſecundum proportionem ad variationem operis operantis: Verbi gratia, alij ponunt effectum operis operati eſſe determinatum, puta ad vnum gradum; vt ſi deuotioni Petri reſpondent duo gradus, Petrus recipiet tres; duos quidem propter deuotionem, tertium verò propter opus operatum, puta Sacramentum, vel Sacrificium; ſed ſecundum nos, Petrus recipiet quatuor gradus, duos ex deuotione,& alios duos ex opere operato, proportionato

tionato ad opus operantis.

CAPVT IX.

Ponuntur alia fundamenta.

AD Huius verò ſententię declarationem nonnulla ſunt obſeruanda.

Primò, in Miſſa ſunt ſacrificium, & oratio. In ſacrificio ſunt opus operatum, ideſt immolatio Chriſti, & opus operantis, ideſt fides, & deuotio offerentis, ſeu facientis offerre, vel eorum pro quibus offertur. Opus operatum concipitur, vel ſecundum ſe, vel applicatum huic, & illi. Primò modo eſt infinitum ſecundum ſufficientiam, immò & efficaciam de ſe, vt dictum eſt; ſecundo modo effectus eſt finitus ſecundum quantitatem deuotionis. In applicatione verò ſacrificij duo attenduntur, Applicatio ipſa, & Effectus eius particularis: applicationem reſpicit intentio applicantis, puta offerentis, vel facientis offerre; effectum verò reſpicit deuotio, præſertim participantis. 1.Not.

Intentio

Intentio eſt propria Sacerdoti, vel facienti offerre; deuotio verò eſt communis ei, & alijs, pro quibus offertur. Vtrunque inſinuatur in Canone Miſſæ. Intentio quidem in verbis, Quam tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Deuotio verò in verbis, Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio; & ſic applicatio quoad effectum perficitur & intentione, & deuotione. Oratio quoq; ex genere ſuo quoddam ſacrificium eſt, & præſertim adhibita in ſacrificio Miſſæ, & in eius oblatione, vt eſt in toto Canone; & addit aliquid ſpeciale, ideſt petitionem; vnde eſt impetratoria, impetrat autem & ex parte noſtri principaliter ratione fidei, & ex parte Dei ratione diuinæ pietatis, & largitatis. Cùm ergo fides de vno poſtulato nō minuat fidem de alio obtinendo, immò augeat; nec diuina liberalitas ex vnius largitione minuatur circa largitionem aliorum; ſequitur quòd quanto pluribus applicatur oratio, tanto ex maiori fiducia diuinæ largitatis, & ampliori charitate procedit; ſimiliter deuotio vnius ad ſacrificium non minuitur ex deuotione alterius, ſed potius augetur. Cùm ergo fructus ſacrificij ex deuotione determinetur, & habeatur, participatio,

ticipatio, & receptio vnius non minuit participationem, & receptionem aliorum.

Obſerua ſecundò, quòd duo neceſſaria ſunt vt Miſſæ ſacrificium proficiat. Intentio celebrantis, & Deuotio præſertim participantis. De Intentione quidem probatur. Tùm primò, ſicut in Sacramentis neceſſaria eſt intentio miniſtri, ita in ſacrificio. Tùm ſecundò, ſicut Chriſtus in Cruce pro omnibus offerre intendit; ſic in Miſſa per miniſtrum ſuum, pro omnibus intendit offerre; & ſic intentio miniſtri requiritur; vel ſpecialis, vel generalis, vt conformetur intentioni Chriſti. Tùm tertiò, Eccleſia in Canone hoc oſtendit, dicens. Pro quibus tibi offerimus. 2. Not.

De deuotione quoque probatur. primò, quia in adultis ſemper diſpoſitio requiritur.

Secundò, quia per fidem, & pium affectum opportet hominem Chriſto vniri; vnde Infideles, Hæretici, & Excommunicati Miſſæ fructum minimè participant.

Tertiò, quia in Sacramentis etiam neceſſaria eſt.

Quartò, quia in Canone fit expreſſa mentio de fide, & deuotione. Quorum

tibi

tibi fides cognita eſt, & nota deuotio.

Obſerua tertiò, quòd ex parte Sacerdotis ad applicationem ſacrificij requiritur intentio magis, quàm deuotio.

Tùm, quia deuotio efficit vt ſibi proſit, potius quàm alijs.

Tùm ſecundò, quia ſi Sacerdos eſſet in peccato, vel ſine deuotione offerret, nihil alijs prodeſſet; quod eſt contra ſenſum totius Eccleſiæ.

Tùm tertiò; quia ſi requiritur deuotio eius, ſufficit vt perſonæ publicæ, quæ in ſola intentione celebrandi continetur; eſt enim intentio quædam affectio pia, & deuotio; non vt perſonæ priuatæ. At certè intentio non minuitur ſi pluribus applicetur; immò Eccleſia realiter omnibus applicat, vt intentioni Chriſti primi Sacerdotis conformetur, qui pro omnibus ſe per ſe obtulit in Cruce, & per Sacerdotem ſe offert in Miſſa. Ex quo colligitur, eum qui pro ſe ſolo petit celebrari, non conſentire intentioni Chriſti, & Eccleſiæ, quatenus alios vult excludi; ac naturæ ſacrificij repugnare; immò & contra charitatem agere; vult enim commune bonum ſibi appropriare, & cęteris non cõmunicari.

Obſerua

Obſerua quartò, quòd inter Sacramentum, & Sacrificium quoad participandum effectum Sacramenti diuerſo modo ſe habet deuotio recipientis, & participantis; quia in Sacramento eſt diſpoſitio recipientis; Sacramentum verò ipſum totaliter eſt cauſa effectus; ſed in Sacrificio deuotio participantis non tantum eſt diſpoſitio, & conditio, ſed etiam quodammodo cauſa effectus, ſeu potius determinati effectus; vnde ſecundum accommodationem completa cauſa eſt virtus ſacrificij quoad ſubſtantiam effectus, & deuotio participãtis quoad determinationem, & quantitatem effectus; ſacrificium enim eſt oblatio, quæ virtutem habet, non ſolùm ex re oblata, ſed etiam ex offerente, puta deuotione participantis. Et hæc deuotio intelligitur tàm in viuentibus, quàm in defunctis, tàm in præſentibus, quàm in abſentibus, & tàm ſcientibus, quàm ignorantibus; quamuis etiam deuotio offerentis, vel facientis offerre, proſit alijs, pro quibus offertur. 4. Not.

CAPVT

CAPVT. X.

Probatur Concluſio.

HIS præmiſsis, probatur concluſio, vel aſſertio poſita. Sacrificij effectus non eſt de ſe finitus,ſed ex alio,tùm auctoritate,tùm ratione. Auctoritate Caiet. Sylueſt. Cano.Cordub.Pet. Sot. In hoc etiam dicitur Vniuerſitas Pariſienſis, quæ Sorbona vocatur,cōſenſiſſe, cuius quidem auctoritas magna eſt in Eccleſia, cùm ſit Vniuerſitatum omnium prima.

Probat. auctor.

Probatur etiam ratione. Primò, Determinatio iſta ſi eſt ex parte ſacrificij, Aut eſt ex valore, ſed hic eſt infinitus, vt etiam aduerſarij concedunt; Aut ex natura ſacrificij; ſed hoc eſt digniſsimum,& de ſe efficaciſsimum, cùm ſit idem ſubſtantialiter cum ſacrificio Crucis, vt habet Concil. & omnes Patres; & declarant collectæ complures in Miſſa, præſertim ſecretæ, ac præcipuè de viuis, & defunctis; Aut ex inſtitutione Chriſti,ſed ipſe pro ſalute omnium inſtituit; Aut ex inſtitutione Eccleſię; ſed

Probat. ratione prima

ipſa vel non propriè inſtituit ſacrificium, ſed ſolus Chriſtus; vel non potuit modo oppoſito inſtitutioni Chriſti aliter inſtituere. Immò declarat in ipſo Canone, & Miſſæ celebratione infinitum effectum, & vniuerſalem; ergo nullo modo eſt finitus de ſe.

Secundò, Sacramentorum efficacia de ſe non eſt finita, quia non determinatur ad tot peccata, vel tot pœnas, ergo multo minus efficacia ſacrificij, cùm Sacramentum ſit bonum quaſi ſingulare; ſacrificium verò ſit bonum vniuerſale. Secūda

Tertiò, Si de ſe finitus eſt effectus, ergo quomodocunque pluribus applicetur, diminuitur, ſiuè miniſtrantibus, ſiuè circunſtantibus, ſiuè alijs; nec eſſet aſsignandum diſcrimen inter aſſiſtentes, & non aſsiſtentes; inter nominatos ab Eccleſia, & à Sacerdote particulariter, & huiuſmodi; ſicut faciunt opinantes; quod tamen apparet falſum, tùm quia omnibus fidelibus prodeſt ſine diminutione, tàm viuis, quàm defunctis; tùm quia omnibus ſpecialiter offerentibus, puta circunſtantibus, prodeſt ſine diminutione, vt etiã concedunt opinantes. Tertia

Quartò, Efficacia vniuerſalis agentis

Quarta determinatur non ex ſe, ſed ex diſpoſitione patientis, ſed ſacrificium eſt cauſa vniuerſalis, & commune bonum Eccleſiæ; ergo pro diſpoſitione illorum, quibus prodeſt, determinatur effectus.

Quinta Quintò, Inſtrumentum ſequitur virtutem principalis, ſed Chriſtus principalis offerens non habet efficaciam de ſe determinatam; ergo & Sacerdos offerens, & ſacrificium eſt indeterminatum.

Sexta. Sextò, Sacrificium cruentum habet efficaciam in nobis, quæ fit vel per fidem, & charitatem; vel per Sacramenta, vel per ſacrificium; ſed efficacia primo, & ſecundo modo determinatur ex diſpoſitione patientis, ergo, & in tertio.

Septima Septimò, Omnes concedunt magis, vel minus diſpoſito, magis, vel minus prodeſſe ſacrificium, ſed hoc non eſſet ſi effectus eſſet determinatus gradualiter de ſe.

Octaua Octauò, In ſacrificijs, & oblationibus ex omnium conſenſu attenditur deuotio offerentis, magis quam res oblata; ergo deuotio determinat effectum ſacrificij.

Nona Nonò, Efficacia ſacrificij cruenti non eſt determinata de ſe, ſed incruentum eſt idē eſſentialiter, licèt ratione differat, ergo, &c.

Decimò, Determinatio ex opere operato nunc accipitur, at opus operatum nõ poteſt eſſe ità immediatè ſicut in Sacramentis, vt infra probabitur, ſed ex virtute quaſi impetratiua, quæ de ſe non eſt determinata, etiam per opinantes, ergo &c. Decimum

CAPVT XI.

Soluuntur argumenta.

VLTIMO, defenditur aſſertio præmiſſa.

Argumentum primum. In Sacramentis effectus eſt finitus, ergo & in ſacrificio. Reſpond. Ex parte ſubiecti conceditur, non ex parte ſui. Poteſt autem negari conſequentia, quia Sacramentum eſt bonum particulare, Sacrificium verò vniuerſale. Primũ arg.

Secundùm: Si nulla eſſet deuotio tàm in offerentibus, quàm pro quibus offertur; adhuc aliquis eſſet fructus, & in Eccleſiæ theſauro reponeretur; ergo finitus eſt. Reſpon: Caſus eſt impoſsibilis, tàm in viuentibus, quàm in defunctis; dato ta-

men caſu, eſſet effectus infinitus reſpectu Dei, ideſt honor, & gratiarum actio, & huiuſmodi; quo ſe Chriſtus offert Patri ſuo. Sed & negatur conſequentia, nam etiam infinitus effectus reponeretur in Theſauro, vel potius non acciperetur ex Theſauro: tunc enim nullus eſſet effectus reſpectu hominum; & ſic propriè non reponeretur in Theſauro.

Tertiū. Tertium, Efficacia reſpicit effectum re ipſa dandum; ſed hic eſt finitus; ergo &c. Reſpon. Efficacia reſpicit effectum in patiente diſpoſito, & ideo ex ſubiecto determinatur.

Quartū Quartum. Effectus menſuratur non ex infinitate ſacrificij, ſed ex inſtitutione, & promiſsione Chriſti, qui taxare debet effectum, eo quòd inſtrumentum ſemper ad determinatum effectum aſſumitur, vt patet in Sacramentis. Reſpond. Chriſtus inſtituit, & promiſit ſecundum diſpoſitionem ſubiecti effectum ſuum determinare, ſiuè per Sacramentum, ſiuè per Sacrificium; nec aliter inſtitui debuit.

Quintū Quintum. Etſi determinatio iſta non ſit indiuiſibilis; ſed fortè maior in melius diſpoſito; tamen ſimpliciter habet maxi-

mum

mum in perfectiſsimè diſpoſito. Reſpon. Non concluditur contra nos; & certè maior eſt effectus in melius diſpoſitis; & ſic ſequitur contra opinantem effectum non eſſe de ſe determinatum: tamen ſicut non datur terminus charitatis in via ex ſe, licèt de facto ſemper ſit finita; ita non datur terminus in effectu Sacrificij, vel Sacramenti ex ſe, licèt ſemper de facto ſit finitus.

Sextum. Vt offertur in perſona Eccleſiæ, habet valorem, & effectum finitum ad impetrandum, ſed ſemper offertur in perſona Eccleſiæ. Reſpon. Quòd ſemper offertur in perſona Chriſti, ex quo habet infinitum valorem; efficacia verò non eſt finita de ſe, nec ex parte Chriſti, nec ex parte Eccleſiæ, ſcilicet negatiuè; ſed ſemper ex diſpoſitione ſubiecti determinatur. Sextũ.

Septimum. Poteſtas data eſt à Chriſto Sacerdoti applicandi effectum determinatum, putà decem gradus ſatisfactionis non vt pluribus totum, ſed vt vni totum, vel pluribus partialiter applicet, ergo &c. Reſpon. Negatur antecedens, ſupponit enim Sacrificium valere tantùm ad ſatisfaciendum, cùm tamen ad alia valeat. Supponit etiam gradum determinatum ſatisfactio- Septimũ

nis ex parte ſacrificij; quod eſt falſum. Sacerdos ergo applicat ſacrificium, ideſt intendit offerre, & generaliter pro omnibus, & ſpecialiter pro quibuſdam indeterminatè, ſeruando videlicet ritum, & intentionem Eccleſiæ, quæ in canone, & tota Miſſa exprimitur; non poteſt autem taxare tantùm effectum; ſed ex deuotione recipientis taxatur: ſicut etiam in Sacramentis miniſter per intentionem applicat Sacramentum, & eius effectum, ſed non determinat gradum.

CAPVT. XII.

Soluuntur ſpecialiter argumenta Suarij.

CAETERVM opinans, ideſt Franciſcus Suarez 3. par. 3. tom. diſput. 79. fol. 986. nititur probare multipliciter aſſumptum, & antecedens, ſed inutiliter.

Primum, Eccleſia ſic vtitur; Sacerdos applicando vni, non applicat alij.

Suar.

Reſp.

Reſpon. primò, Falſiſsimum eſt; immò applicat omnibus, vt illi ab Eccleſia ordinatur, ſine diminutione ſingulorum; quin etiam ſpecialiter applicat multis, putà circunſtantibus, & miniſtrantibus, qui non ſunt determinati, iſtique ſine detrimento; immò etiam nominatis in commemoratione, qui ſunt plures indifferenter, ſine detrimento; Cur ergo non poteſt pluribus applicare eleemoſynam præbentibus, qui ſpecialiter dicuntur offerre, etiam ſecundum opinantem, ſine detrimento?

Dicitur ſecundò, quòd errat Sacerdos, ſi vni ſoli applicans, intendat alios excludere; quamuis enim non teneatur includere ſpecialiter, tenetur tamen non excludere, immò includere generaliter; alioquin & errat, & peccat contra naturam, & inſtitutionem ſacrificij, immò, & intentionem Eccleſiæ agens, niſi fortè ignorantia excuſetur.

Secundum. Ergo liceret pro vnico ſacrificio plura ſtipendia integra accipere; & pro pluribus ſatisfieret; quòd eſt contra vſum Eccleſiæ. 2.arg.

Reſp: primò. Negatur conſequentia; quia poteſt aliunde non licere.

Secundò, conceditur conſequentia, vt inferius declarabitur; nec eſt contra Eccleſiæ vſum per ſe, & vniuerſaliter; immò contraria conſuetudo fuit ab Eccleſiæ initio, & ſemper perſeuerauit, & perſeuerat, præſertim in Illuſtriſsimis, vel inſigniori-bus totius orbis Eccleſiæ, tàm intra, quàm extra Vrbem; neque opinio contraria potuit adhuc vniuerſaliter præualere.

3. arg. Tertium. Plura ſacrificia proſunt vni, pluſquàm vnum, ergo plura ſacrificia plus proderunt pluribus, putà duabus perſonis, quàm vnum pro vtraque.

Reſpon. Verum eſt antecedens, quia ex pluribus ſacrificijs idem homo conſequitur pluries fructum, iuxta deuotionem ſuam; tamen plures perſonæ ex eodem ſacrificio recipiunt ſingulæ fructum ſecundum ſuam deuotionem; nec vnius fructus ex alterius fructu decreſcit; quæ plures perſonæ ſi plura ſacrificia petant, ſingulæ pluries fructum recipiunt.

Obiectio. Contra. Moraliter non plus eſt remittere eidem bis quatuor, quam duabus ſingulis etiam quatuor; vtrobique enim ſunt octo dimiſſa.

Solui: Reſpon. Supponitur falſum, tùm quòd

ſola

ſola ferè pœnæ remiſsio ſequatur ex opere operato. Tùm quòd determinatus gradus remiſsionis efficiatur. Tùm quòd communicatio vnius diminuat communicationem alterius. Veritas ergo eſt. Tùm quòd ſacrificium ad alia multa valet. Tùm, dato quòd ad pęnę remiſsionem ſpecialiter valeat; non tamen producit de ſe determinatum gradum. Tùm, dato, & non conceſſo, quòd determinatum gradum haberet, plures tamen iuxta deuotionem ſuam eundem recipiunt; ſicut plures poſſunt vnica actione baptizari, vt accidit Diuo Petro in Actibus Apoſtol. quorum tamen vnuſquiſque effectum Sacramenti ſuſcepit. Act. 2

Ad argumentum ergo dicitur, quòd abſolutè bis quatuor efficiunt octo, ſiuè vni bis quatuor dentur, ſiuè duobus ſingula quatuor; tamen comparando ad perſonas recipientes, eadem perſona duabus vicibus ſecundum ſuam deuotionem recipit bis quatuor; & tamen duæ perſonę vna vice ſingulæ recipiunt ſemel quatuor ex deuotione ſua, cui reſpondet quartus gradus:

Quartum. Extrinſecum valdè, & acci-

dentarium eſt; quòd gradus effectus ſacrificij, putà quatuor applicentur vni totaliter, vel pluribus diuiſim partialiter; ergo ſicut vni perſonę non poteſt applicari bis totalis effectus, ſed requiritur ſacrificium duplex; ſic diuerſis non poteſt idem totalis effectus vnius ſacrificij applicari.

Reſp. Effectus ſacrificij non eſt determinatus de ſe, nec ad vnam perſonam, cùm pro pluribus etiam ſpecialiter, immò pro omnibus generaliter, etiam defunctis offeratur; neque ad gradum; ſed ſecundum deuotionem ſingulorum determinatur; hoc ergo argumentum, & ſimilia apertam ſupponunt falſitatem.

5 Quintum: In ſatisfactione intenſiò effectus non eſt alia, quàm multitudo ſatisfactionis; ſed effectus eſt limitatus intenſiuè, ſimpliciter loquendo; alioquin neque reſpectu eiuſdem perſonæ limitatus eſſet; quod falſum; ergo ſatisfactio applicanda eſt limitata reſpectu cuiuſcunque perſonę, vel multitudinis perſonarum.

Reſp. vt ad præcedens. Effectus de ſe non eſt determinatus, nec intenſiuè, nec extenſiuè, quia reſpicit plures, immò omnes, & intenſiuè reſpicit ſingulorum de-

uotionem

uotionem,vel fidem,& diſpoſitionem.

Sextum. Oblatio in ſe non variatur,eo quòd effectus eius applicatur vni; vel pluribus; hoc enim eſt poſterius, & oblationi extrinſecum, ergo non multiplicatur effectus per ſolam Sacerdotis voluntatem vni, vel multis applicantis. 6

Reſp. Vtique voluntas Sacerdotis applicat ſacrificium, & eius effectum, dùm offerre intendit pro Eccleſia, vel quibuſdam, ſed non ex eius voluntate, immò ex natura ſacrificij, & ipſius inſtitutione, & Eccleſiæ propoſitione eſt, quòd applicetur omnibus generaliter; & pluribus ſpecialiter; determinatio verò effectus eſt ex deuotione participantis. Vnde miniſter quaſi applicat actiuū paſsiuo, vel paſsiuis.

Septimum. Effectus Sacramenti non multiplicatur,niſi multiplicetur Sacramentum,ideſt ſumptiones,ergo nec effectus ſacrificij,niſi multiplicetur ſacrificium. 7

Reſp.Sicut eadem actione Baptiſmi plures recipiunt Baptiſmum, & effectum numero diuerſum,iuxta ſuam diſpoſitionem, vbi plures ſunt receptiones, vnica tamen actio; ità idem ſacrificium pluribus, vel omnibus applicatur,& ſinguli ſuos effectus

par-

participant; vbi plures ſunt receptiones, & vnicum ſacrificium; quanquam Sacramentum eſt particulare bonum, ſacrificium verò vniuerſale; ideo eſt ratio diuerſa.

8 Octauum. Incredibile eſt, Chriſtum dediſſe libertati Sacerdoti applicare vni, vel multis.

Reſp. Sacerdos ſequitur Chriſti inſtitutionem, & ſacrificij naturam, quæ eſt, vt pro omnibus generaliter, & pro pluribus ſpecialiter offeratur. Et quidem liber eſt Sacerdos ad offerendum, vel non offerendum, non tamen ad offerendum generaliter pro vno, vel quibuſdam, non pro alijs, vel non pro omnibus; eſt etiam liber ad offerendum ſpecialiter pro vno, vel pro pluribus, ſiue perſonis, ſiue effectibus recipiendis; ſed non eſt liber ad determinandum gradum effectus, quia ex deuotione recipientis determinatur, quamuis liberè poſsit applicare fructum ex priuata ſua deuotione conſequentem; ſed hic eſt accidentalis, & quandoque paruus, vel nullus; eſſentialis autem eſt ex virtute ſacrificij.

9 Nonum. Incredibile eſt poteſtatem hanc applicandi pluribus totaliter effectũ fuiſſe ignotam Eccleſię tot annis; & ſi no-

ta fuit, cur non vtuntur illa Sacerdotes, vel Eccleſia?

Reſp. Planè nota fuit Eccleſiæ, etiam ab ipſius exordio; immò & vſu, vel exercitio firmata; immo etiam luce clarius propoſita, & declarata in ipſius Miſſæ celebratione, & ſacroſancto Canone; immò videtur non potuiſſe clarius explicare, quàm offerendo, & celebrando Miſſam expreſsiſſimè pro vniuerſis fidelibus viuis, & defunctis, & prò tota Eccleſia; tàm diſtributiuè, quàm collectiuè ſumpta; ac etiam committendo Sacerdoti; vt offerat ſpecialiter pro pluribus, non modò in Canone nominatis, purà præſidentibus eccleſiaſticis, & temporalibus; qui quidem numero ſunt indeterminati; ſed etiam nominandis in commemoratione, tàm viuis, quàm defunctis; quorum profectò numerus non eſt determinatus.

Decimum. Si Chriſtus voluiſſet ſacrificium pluribus, vel omnibus applicari, melius inſtituiſſet hanc virtutem ſine dependentia à voluntate Sacerdotis, quàm ponere gratis in eius arbitrio. 10

Reſp. Immo ita inſtituit, non ponendo in libertate Sacerdotis applicationem ſacrificij,

crificij, vel effectus ad hos, vel illos, neque determinatum gradum effectus; ſed tantùm libertatem ad offerendum; applicatio verò effectus, & determinatio eius pendet ex inſtitutione, & virtute ſacrificij, & deuotione eorum pro quibus offertur, vel offerentium.

11 Vndecimum. Ergo non eſt liber Sacerdos priuare hoc effectu, vel in toto, vel in parte quos vellet.

Reſpon. Liber eſt Sacerdos ad celebrandum; ſed celebrans non eſt liber, immò neceſſariò offert pro tota Eccleſia generaliter, ſi ritum Eccleſię ſeruet; alioquin cõtra inſtitutionem, & naturam ſacrificij facit, & contra intentionem Eccleſiæ: eſt etiam liber ad offerendum ſpecialiter pro hoc, vel illo; ſed non ad determinandum gradum effectus, vel applicando totum, vel partem; quia neceſſariò ſinguli, pro quibus offertur, vel qui offerunt recipiunt totum effectum ſuæ deuotioni reſpondentem.

CAPVT.

CAPVT XIII.

An Sacrificium habeat effectum ex opere operantis, vel operato.

TERTIA quæſtio eſt: An; & quomodo Miſſæ ſacrificium habeat effe-ctum, & proſit ex opere operantis, vel operato. In qua nonnulla ſunt prænotanda.

Primò. Homo poteſt aliquod aſſequi commodum bifariam; Vel ex ſe, ideſt actu proprio; Vel ex alio, ideſt per actum alterius; vt ſi quis pro alio oret, vel impetret, vel ſatisfaciat. Item acquiritur aliquid bifariam; Vel ex opere operantis, ideſt bonitate, ac diſpoſitione operantis; Vel ex opere operato, ideſt ex vi talis operis, ſiue deſit, ſiue adſit bonitas operantis. 1. Not.

Secundò. In ſacrificio multipliciter cogitari poteſt bonitas operantis. Primò, bonitas offerentis principalis, ideſt Christi; ſed hæc reſpicit potius opus operatum; quia eius virtus eſt in ſacrificio, & ex eius virtute operatur, etiā ſine bonitate 2. Not.

miniſtri, vel offerentium, vel eorum pro quibus offertur: vnde licèt reſpectu Chriſti dicatur opus operans; tamen abſolutè in ſacrificio, & ex parte noſtri reſpicit opus operatum. Secundò, bonitas, & deuotio Sacerdotis; Et hęc verè dicitur opus operantis. Tertiò, deuotio, vel bonitas offerentium, & præſertim ſpecialiter, ideſt actione aliqua externa concurrentium ad ſacrificium; Et hęc eſt opus operantis. Quartò, deuotio in ijs pro quibus offertur; Et hęc reſpicit etiam opus operatum, quatenus determinat effectum ſacrificij. Vnde effectus conſideratur, vel quantum ad ſubſtantiam; & ſic ex opere operato cauſatur à ſacrificio; vel quantum ad determinationem, & quantitatem effectus; & ſic procedit à deuotione, præſertim eorum pro quibus offertur, ſaltem vt conditionem.

3. Not. Obſerua tertiò, ſacrificium habere vim ex opere operato, poteſt multipliciter accipi.

Primò, per modum ſimplicis impetrationis, ſicut habent puræ orationes, quatenus oratio innititur potius pietati, vel largitati diuinæ, quàm merito, vel bonitati orantis. Et hoc falſum eſt, alioquin non differret

differret oratio à ſacrificio.

Secundò, per modum impetrationis peculiaris; & vt ita dicam, ſacrificialis, vel ſacrificæ; prout ſacrificium offertur ad impetrandum à Deo hæc, vel illa bona. Et hoc verum eſt, vt infra explicabitur.

Tertiò, per modum meriti propriè; quod eſt ſolum in viatore. Et ſic non intelligitur, quia offerens ſi intelligitur Chriſtus non eſt in ſtatu merendi; ſi verò ſumitur Sacerdos, aut alij, poſſunt eſſe in peccato, vel non actu cogitare, aut operari ad ſacrificium.

Quartò, per modum ſatisfactionis propriè, quæ ſolum eſt in viatore iuſto; Et ſic non intelligitur, eiſdem rationibus, ſicut de merito.

Quintò, per modum propitiationis, & ſatisfactionis, nempè pro culpa, & pœna; Et ſic verum eſt, vt infra: hoc antem dici poteſt aliquo modo meritorium, & ſatiſfactorium, quatenus meritum, & ſatisfactio Dominicę paſsionis per hoc ſacrificiũ fidelibus applicatur. Poteſt etiam dici ſacrificialis impetratio, ſicut in ſecundo dictum eſt.

Sextò, vt inſtrumentum Dei, & Chriſti,

conferens

conferens ſpiritualia bona efficienter, immediatè, infallibiliter; ſicut eſt in Sacramentis. Et hoc falſum eſt, vt oſtendetur.

Intelligitur ergo ſacrificium ex opere operato prodeſſe; quia ſine, & præter, & vltra opus operantis confert effectus ſuos, ad quos offertur.

His prænotatis, poſſunt aſsignari opiniones extremę ſimpliciter.

Opiniones. Prima, Sacrificium nullo modo operatur ex opere operato, ſed ſolùm ex opere operantis. Et hoc eſt ſimpliciter falſum; non eſſet enim aliquid excellens præter antiqua ſacrificia.

Secunda, quòd operatur ſolùm ex opere operato. Et hoc etiam falſum, quia etiam miniſtri bonitas, & deuotio petentis Miſſam prodeſt his pro quibus offertur: Igitur vtroque modo operatur; eſſentialiter, & ſimpliciter ex opere operato; accidentaliter, & ſecundum quid ex opere operantis.

Adhuc ſunt opiniones extremæ.

Prima, quòd ſolùm impetrat ex Dei pietate, vt oratio. Sed falſum. Tùm quia excellit orationem; Tùm quia potius eſſet ex parte operantis, quaſi orationi connaturale. Secunda,

Secunda, quòd proprijſsimè operatur ex opere operato, ſicut Sacramenta, puta gratiam, vel culpæ remiſsionem; ac etiam pœnę, & alia omnia; Et hoc falſum; alioquin omnis peccator pro quo offertur, ſaltem attritus, iuſtificaretur. Veritas ergo eſt, quòd prodeſt longè pluſquàm oratio, non tamen eo modo ſimpliciter, quo Sacramenta.

Adhuc ſunt opiniones, Prima, quòd operatur ſolùm impetratiuè. Bellarm. de Miſ. lib. 2. char. 861; Et hoc in bono ſenſu verificatur, ideſt de impetratione non communi, vt in omni opere bono, vel etiam in oratione, ſed ſpeciali, immò ſingulari huic ſacrificio appropriata.

Secunda, quòd vltra impetrationem operatur ex opere operato ſpecialem effectum remiſsionis pœnæ, non remiſsionem culpę, ſiue mortalis, ſiue venialis; non gratiam, vel eius augmentum; non alia quæcunque. Et hæc aliquo modo tantùm verificatur, ideſt ſpecialiter reſpicit ſatisfactionem pro pœna; ſimpliciter tamen falſum eſt, quia eſſentialiter eſt ſacrificium propitiatorium; propitiatio verò principalius reſpicit culpam, quàm pœnam; immò vniuerſaliter,

& quaſi principaliter offertur ad cultum, & & obſequium Dei, ſiuè per modum honoris, ſiuè per modum laudis, & actionis gratiarum, ſiuè per modum propitiationis, & ſatisfactionis.

Sentẽtia auctoris Eſt ergo ſententia noſtra, quòd ſacrificium operatur ex opere operato, nedum operantis, ideſt ex natura, & virtute propria, immediatè, & infallibiliter; non gratiam, vel eius augmentum; non præcisè remiſsionem pœnę, vel etiam culpæ; ſed indefinitè bonum illorum, pro quibus offertur, vel qui offerunt, iuxta deuotionem, & diſpoſitionem eorum. Quę ſententia declaratur notandis, probatur in concluſionibus, & defenditur ab argumentis.

CAPVT XIIII.

Declaratur ſententia vera.

1. Not. QVANTVM ad declarationem, Nota primò, quòd peccati demeritum dupliciter conſideratur. Primò, ſecundum ordinem quaſi ſuæ naturæ, inſtitutum à

Deo.

Deo. Secundò, ſecundum quaſi capacitatem, vel meritum peccati. Primo modo, peccatum aufert bonum ſpirituale, & infirmat bonum naturale, non tamen naturam deſtruit; quamquàm vita corporis naturalis per primum peccatum primi parentis aufertur. Secundo modo, peccatum meretur, vt etiam natura tota deſtruatur, & anima quoquè annihiletur; iuxta illud. Miſericordię Domini, quia non ſumus conſumpti. Tren. 3.

Meritum etiam Chriſti dupliciter conſideratur. Primò, vt inſtitutum à Deo, vel à Chriſto ad aliquid obtinendum. Secundò, ſecundum dignitatem merentis. Primo modo inſtitutum eſt ad omnia bona conferentia ad finem incarnationis; & ita aptum eſt reſtaurare mala omnia, quæ peccatum attulit; immò quia plus Chriſtus profuit, quàm Adam obfuit; longè maiora nobis promeruit; non tamen meruit creationem, & conſeruationem vt ſic præcisè conſideratam; ſicut & peccatum non meruit annihilationem ſecundum primam ſui acceptionem. Secundo modo, ſicut peccatum de ſe dignum fuit annihilatione, ita meritum Chriſti promeruit con-

ſeruationem illi oppoſitam; nihilominus meritum Chriſti ſumitur primò modo.

5. Not. Nota ſecundò, Chriſtus Dominus ſalutem noſtram multipliciter operatus eſt. Primò, per modum efficientis, principalis quidem vt Deus eſt; inſtrumentalis verò vt homo eſt. Secundò, per modum meriti, etiam de condigno. Tertiò, per modum ſacrificij, vel oblationis. Quartò, per modum ſatisfactionis. Quintò, per modum redemptionis. Sextò, per modum impetrationis, vel orationis. Iſti omnes in via fuerunt in Chriſto; nunc verò in Cœlo noſtram operatur ſalutem, Primò, vt efficiés, & principale vt Deus; & inſtrumentale vt homo. Secundò, per modum impetrationis; interpellat enim pro nobis. Tertiò, per modum ſacrificij, dùm per Sacerdotem ſe offert: Quartò, per modum redemptionis, dùm in ſacrificio per Sacerdotem præbet pretium ſanguinis ſui. Et quidem primus, & ſecundus non dubitatur; tertius verò, & quartus à Concil. Triden. inſinuatur, dicente, quòd eſt idem offerens, & eadem Hoſtia, ſicut in ſacrificio Crucis, ſe Sacerdotum miniſterio offerens: non autem operatur per modum meriti, nec ſatisfactionis, quia nõ

eſt am-

eſt amplius in ſtatu merendi, vel ſatisfaciē-di; quamuis in Miſſa applicet meritum, & ſatisfactionem cruenti ſacrificij Crucis, & incruenti Cœnæ; in quorum vtroque omnibus ſex modis operatus eſt noſtram ſalutem.

Nota tertiò. Religio virtus exhibet cultum, & obſequium Deo debitum: debet autem homo Deo vniuerſaliter omnia; ſed ſpecialiter quatuor in communi. Primò, honorem propter eius Maieſtatem. Secundò, laudem, & gratiarum actionem propter beneficia eius. Tertiò, ſatisfactionem pro offenſa illius. Quartò, ſupplicationem pro beneficijs recipiendis. Et quoniam ſacrificium eſt ſummus religionis actus, quadruplex aſsignatur, Honorarium, Laudis, Propitiatorium, & Impetratorium. Vnde Chriſti ſacrificium, ſiuè Crucis, ſiuè Cœnæ, ſiuè Miſſæ, habet quatuor iſtas rationes, prǽſertim applicando in Miſſa virtutem, & fructum ſacrificij Crucis, & Cœnę. Dicitur tamen ſpecialiter ſatisfacere, applicando ſatisfactionem illorum. 3. Not.

Nota quartò. Quamquam Miſſę ſacrificium, immò & Cœnæ, & Crucis habet 4. Not.

omnes prædictas rationes, ſpecialiter tamen eſt propitiatorium, & impetratorium: non dico principaliter, quia fortè principale eſt honorarium; eo quòd gratiarum actio, propitiatio, & impetratio honorem Dei ſpectant; ſimiliter ſpecialius eſt propitiatorium, quàm impetratorium; quia impetratio magis orationem reſpicit, quàm ſacrificium; quamuis ſacrificium eſt impetratorium, vt habet modum orationis, non quidem locutiuæ, ſed realis, & quaſi operatiuæ. Propitiatio verò eſt duplex, pro culpa, & pro pœna; magis dicitur pro culpa; vnde pœnę magis tribuitur ſatisfactio. Itaque ſpecialiter ſacrificium eſt propitiatorium pro culpa, & pœna; quamuis abſolutè ſit & honorarium, & gratiarum, & impetratorium.

5. Not. Nota quintò. Sacrificium Miſſæ operatur officia omnia prædicta; ſed ex opere operantis ſecundum quid, puta ex deuotione Sacerdotis, vel offerentium; vel eorum pro quibus offertur: ſed ex opere operato ſimpliciter, ideſt ex re oblata infinita, & ex offerente principali infinito; ratione quorum oblatio iſta dicitur infinita: vnde fructus ex opere operantis eſt accidentalis;

fructus

fructus verò ex opere operato eſt eſſentialis; qui tamen menſuratur,& determinatur ſecundum deuotionem offerentium,& eorum pro quibus offertur. Quare omnes, qui ſentiunt oblationem iſtam eſſe de ſe finitam, abiectè valdè ſentiunt de Sacramento excellentiſsimo, quod non conſonat inſtitutioni, & naturæ ſacrificij, nec declarationi Eccleſiæ, in canone lucidiſsimè expreſsæ, neque traditioni, vel conſuetudini Eccleſiæ: neque Concilijs, pręcipuè Tridentino, aut Pontificibus; neque ſanctis Patribus, pręcipuè ſancto Thomæ, neque rationibus in ſuperioribus allatis, & inferius afferendis.

CAPVT XV.

Statuitur concluſio prima, & ſecunda.

HIS pręmiſsis, concluſiones colliguntur. Prima, Miſſæ ſacrificium, quamuis proſit ex opere operantis, non tamen eſſentialiter, & neceſſariò. Quæ declaratur, probatur, & defenditur.

Declarat. prima cóclusio. Declaratur, quòd opus operantis accipitur pro bonitate miniſtri, & offerentis, ſeu celebrare facientis; cuius fructus eſt accidentalis; & ideò poteſt adeſſe, & abeſſe. Multipliciter autem exponitur fructus Miſſæ eſſentialis, & accidentalis. Primò, ex operato eſt eſſentialis; ex operante eſt accidentalis. Secundò, vt reſpondet deuotioni eius pro quo offertur, eſt eſſentialis; ratione verò offerentis, vel miniſtri, aut facientis offerri, eſt accidentalis. Tertiò, eſſentialis eſt ad remiſsionem culpæ; acciden talis autem ad remiſsionem pœnæ. Quartò, eſſentialis erga bona ſpiritualia; acciden talis erga bona temporalia. Et licèt his modis verificetur, propriè tamen primo modo accipitur. Itaque ex opere operantis eſt accidentalis, quia paruus, aut etiam nullus eſſe poteſt: ex opere autem operato eſt eſſentialis, quia ad hoc inſtitutum eſt ſacrificium, & ex natura eius ſequitur infallibiliter de ſe: & huic malitia miniſtri non eſt, dummodo celebret, & celebrare intendat ſecundum Eccleſię ritum, generaliter pro omnibus, & ſpecialiter pro quibuſdam.

Probat. Probatur prima pars. Tùm quia opera

bona poſſunt alijs prodeſſe, puta impetrare, ac ſatisfacere; ergo multo magis oblatio ſacrificij. Tùm quia antiqui Sacerdotes ex opere operantis proficiebant alijs; ergo multo magis Sacerdotes noſtri. Tùm quia in ſacrificio attenditur non ſolùm res oblata, ſed etiam offerentis affectus, ſecundum illud. Reſpexit ad Abel, & ad munera eius. Gen. 4.

Probatur ſecunda pars, quia experientia conſtat, offerentem eſſe quandoque in peccato mortali. De hoc tamen inferius.

Soluuntur argumenta.

Defenditur. Arguitur primò, opus operans operanti prodeſt; ergo non alij. Reſp. negatur conſequentia. Tùm quia prodeſt & ipſi operanti, merendo, & impetrando; & alteri ſatisfaciendo, & impetrando. Tùm quia fructus proprius poteſt aliquando alteri communicari, puta ſatisfactio. Secundò, in ſacrificio offerens eſt eſſentiale, ergo &c. Reſp. verùm de offerente principali, puta Chriſto; non ſecundario, puta miniſtro, vel miniſtrum inducente. Tertiò, Sacerdos ſemper eſt neceſſarius, ergo & opus operantis. Reſp. actio, & intentio Sacerdotis eſt neceſſaria, non autem bonitas, & deuotio eius.

Secunda concluſio.

Secunda concluſio, Miſſæ ſacrificium

prodeſt ex opere operato. Declaratur, probatur, & defenditur.

Declaratur. Declaratur. Opus operatum accipitur pro virtute ſacrificij ex ſe, quæ non pendet ab opere operantis, ſed ex vi propria producit effectum in patiente diſpoſito: & accipitur in communi, non determinando hunc, vel illum modum, de quo infra. Vis autem ſacrificij adeſt, non modò ex re oblata, ſed etiam ex offerente principali; & conſequenter ipſa oblatio de ſe producit effectum.

Probat. Probatur multipliciter, Primò, ex ipſis verbis conſecrationis, & inſtitutionis; Pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hæc indicant apertiſsimè eius effectum, ſcilicet remiſsionem peccatorum, nempè fidelium ſalutem. Secundò, ex ordinatione Sacerdotis, vbi dicitur, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis. Tertiò, ex Concilijs, præcipuè Tridentino ſeſſ. 22. diffusè. Quartò, ex canone Miſſæ, & multis, quæ in Miſſę celebratione interueniunt. Quintò, ex collectis quibuſdam, ſeu orationibus præcipuè ſecretis, quibus hoc apertè oſtenditur, puta opus noſtræ redemptionis exercetur;

ctetur ; Et per hanc tribuiſti totius mundi relaxare delicta. Et peculiariter in officio Corporis Domini . Sextò, ex communi conſenſu Sanctorũ Patrum, immò & Theologorum , vt refert Suarez 3. tom. diſp. 79. ſec. 1. Quare cõcluſio iſta eſt certa de Fide. Præterea probatur alijs rationibus: Primò hoc ſacrificium ex inſtitutione Chriſti, & quaſi promiſsione habet effectum, ergo ex opere operato. Secundò, quia eſt applicatio ſacrificij cruenti, vt declarat Concilium, & Sancti Patres , ergo de ſe efficaciam habet. Tertiò, quia aſsimilatur ſacrificio Cœnæ, quod vtiquè hab uit vim ex opere operato. Quartò, quia ſuperat longè, lateque ſacrificia antiqua, quę operabantur ex opere operantis. Quintò, quia etiam Sacramenta operantur effectum ex opere operato, ergo & ſacrificium, immò multo magis, Tùm quia continet ſummum Sacramentũ, ideſt Euchariſtiam; Tùm quia eſt vniuerſale bonum Eccleſiæ. Sextò, quia fructus eius non pendet ex ſanctitate miniſtri, vt omnes Patres, & Concilia prædicant. Septimò, quia quando Sacerdos eſſet peccator, nullus eſſet fructus; vel ſemper dubium eſſet de ſacrificij fructu, tàm pro viuis, quàm pro

defunctis;

defunctis; immò quando conceditur animę liberatio de Purgatorio, dubium eſſet de effectu, ſi neceſſaria eſſet bonitas Sacerdotis.

Argum. ſoluuntur. 1. arg. Defenditur. Arguitur primò, Omnis fructus ex opere operato pendet ex promiſſione Chriſti, at in hoc nulla eſt promiſsio; ergo &c. Reſpond. negatur minor, quia primò in verbis illis, Effundetur in remiſſionem peccatorum, inſinuatur aliqua promiſsio, vt explicant Patres, præcipuè D. Thomas. Dicitur ſecundò, quòd in forma ordinis Sacerdotis, & in canone Miſſę apertè oſtenditur finis, & fructus ſacrificij, ſiue ſit per modum promiſsionis, ſiue per modum inſtitutionis.

2. arg. Secundum. Concil. Trid. tribuit omnibus Sacramentis effectum ex opere operato, non autem huic ſacrificio, ergò non habet huiuſmodi fructum. Reſpon. primò, negatur conſequentia, adeſt enim etiam ſi non explicetur. Secundò, negatur antecedens, inſinuatur enim talis effectus dùm dicitur, quòd applicat virtutem, & fructum ſacrificij cruenti, & quod offertur pro culpis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſsitatibus., & certè intelligitur

ex

ex opere operato,non operantis. Non explicat autem opus operatum;quia alio modo ſe habet, quàm in Sacramentis; Sacramenta enim immediatè conferunt gratiã, ſacrificium verò mediatè, quamuis etiam immediatè producat effectus ſuos,vt infra explicabitur; ac etiam Sacramentum vni tantùm prodeſt, & ad particularem effectũ ordinatur; ſacrificium verò prodeſt multis, immò omnibus; & multos producit effectus vniuerſaliter.

Tertium. Effectum operis operati non pendet à dignitate miniſtri, ſed ſacrificij fructus magis eſt ex dignitate offerentis, quàm rei oblatę. ex 3.p.q.79.5.ergo.Reſp. quòd offerens principalis eſt Chriſtus, ex quo oritur vis operis operati. 3. ergo.

Cōtra.Chriſtus nunc nō meretur,neq; ſatisfacit;ergo nō confert effectum ex opere operato. Reſ. primò,negatur cōſequentia, quia ſufficit vt applicet meritum, & ſatisfactionem ſuę paſsionis. Secundò, negatur antecedens, quia Chriſtus etſi modò non mereatur, vel ſatisfaciat, eſt tamen digniſſimus vt ſacrificium per miniſtrum ab ipſo oblatum acceptetur à Patre ad eum finem ad quem eſt inſtitutum.

CAPVT

CAPVT XVI.

Statuitur tertia concluſio.

SEQVITVR tertia concluſio: Sacrificium Miſſę vniuerſale habet ęffectum pro offerentibus, & illis pro quibus offertur. Declaratur, probatur, & defenditur.

Tertia cõcluſio declarat. Declaratur, vniuerſalis effectus intelligitur nõ determinatus ad vnum indiuiduum, nec ſpeciem, nec genus effectuum; ſed ad omnes, qui conferre poſſunt ad vtilitatem Eccleſiæ: quæ vniuerſalitas oritur tùm ex applicatione virtutis Dominicæ paſsionis; tùm ex dignitate offerentis, & oblati, nempè Chriſti.

Probat. Probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate primò Conc. Trid. loco citato habentis, quòd vberrimè percipitur fructus ſacrificij Crucis. At ſi vberrimè, ergo vniuerſaliter. Secundò, Eccleſiæ, vel traditionis: Applicatur enim ſacrificium ad omnia bona neceſſaria, vel vtilia vniuerſali Eccleſiæ; ſicut in canone ſæpiſsimè explicatur.

tur. Tertiò, ex ſanctis Patribus, & pręcipuè S. Thoma, qui pluribus in locis, ſed ſingulariter Ioannis 6. lect. 6. manifeſtiſsimè habet; Quòd ſacrificium eſt vniuerſalis cauſa effectuum gratię; Et, Quicquid eſt effectus Dominicæ paſsionis, totum eſt effectus huius ſacramenti, ideſt ſacrificij (latè enim accipit ſacramentum pro ſacro ſigno) Et, Alia Sacramenta habent ſingulares effectus; ſed in immolatione huius Sacramenti effectus eſt vniuerſalis pro tota Eccleſia pro viuis, & defunctis. Quartò, Plurimi Theologi cum D. Thoma conueniunt; immò videtur in ore Concionatorum efferri. Vnde mirum eſt cur Franciſcus Suarez audeat Diuũ Thomam in hac ſententia refutare; cùm conſtantiſsimum ſit ſacrificium omnibus fidelibus prodeſſe: alioquin fruſtra pro omnibus offerretur; & manifeſtum eſt, quòd non ex opere operantis, ergo ex opere operato habet vniuerſalem effectum.

Rationes verò ex dictis facilè explicantur, tùm quia eſt applicatio vberrima fructus Crucis; Tùm quia applicatur non ſingulariter vt in Sacramentis, ſed vniuerſaliter vt commune bonum; Tùm etiam quia ſi non eſſet vniuerſalis fructus, non liceret

offerre

offerre pro pluribus ſine detrimento, tàm in canone nominatis, quàm à miniſtro nominandis; & longè minus liceret offerre pro omnibus: Itaquè concluſio iſta videtur eſſe de Fide.

Soluuntur arg. 1 Defenditur. Arguitur primò. Auctores antiqui nihil de iſta cauſalitate vniuerſali locuti ſunt. Reſp: Falſum eſt, immò Patres apertè inſinuant, dum pro viuis, & defunctis offerendum conſtituunt; ſicut & Concilia, & Pontifices ab opinante relati declarant. Nec obſtat, quòd iſta cauſalitas non eſt ex opere operato, ſed impetratoria. Reſp. Quomodocunque vocetur, non eſt ex opere operantis, ergo ex operato: vnde opinans cogitur ipſam concedere.

2 Secundò. Non eſt facienda comparatio, nedum ęqualitas inter ſacrificium Crucis, & ſacrificium Miſſæ, ait Lindanus. Reſp. dictum hoc, cuiuſcunque ſit, ſaluari poteſt in ratione meriti proprij, & ſatisfectionis propriæ, quæ non ſunt ex parte Chriſti, tamen falſum quantùm ad virtutem, ſeu valorem, ac etiam efficaciam, eſt enim virtutis infinitæ, ſicut ſacrificium Crucis, cùm idem ſit, & etiam efficaciæ de ſe non finitæ, licèt ex parte recipientis ſit finita.

Tertiò.

Tertiò. Cauſalitas iſta non fundatur, nec in natura rei, tùm primò, quia potuit inſtitui ſine illa; tùm ſecundò; quia non eſt in Sacramento Euchariſtiæ, quod infinitam habet dignitatem; nec in inſtitutione, vel voluntate Chriſti; ergo nulla eſt. Reſp. In vtraquè fundatur; in natura rei quidem, quia eſt idem offerens, & eadem Hoſtia, & eadem ferè oblatio cum ſacrificio Crucis; ſaltem applicatio eius.

Ad primum dicitur; quòd de potentia ordinaria nō potuit aliter inſtitui; ſic enim requirit dignitas ſacrificij communis Eccleſię, & Chriſti. Ad ſecundum dico, quòd ratio Sacramenti eſt particularis in ſumente, ſed ratio ſacrificij eſt vniuerſalis in Eccleſia. Fundatur etiam in voluntate, & inſtitutione Chriſti, quam indicant verba conſecrationis, & traditio, & vſus Eccleſię.

Quartò. Valor ſacrificij non eſt æqualis Cruci, nec intenſiuè in gradibus, nec extenſiuè in multitudine effectuum; Non intenſiuè, tùm quia ſacrificium Crucis habet ſolam ſufficientiam; ſacrificium verò Miſſæ habet ſolam efficaciam; nam ſufficientia copioſa, & perfecta fuit in Cruce. 4

Tùm etiam, quia ſufficientia eſt infinita, ſed efficacia ſemper eſt finita, vt patet in Sacramentis; nec efficacia poteſt exhaurire ſufficientiam. Non extenſiuè, Primò, quia in perſonis, Crux valuit, & præteritis, & futuris; Miſſa verò ſolùm in pręſentibus: Secundò, in effectuum diuerſitate, Crux valet contra originale, & mortale, & omnia mala, & ad omnia bona; Miſſa verò non valet contra originale, nequè contra mortale, nec ad infuſionem gratiæ ex opere operato, nequè ad characteres Sacramentorum, nequè ad perſeuerantiæ dona, vel auxilia gratiæ, & præſertim ad primam illuminationem, ſeu vocationem, quam Deus ſine nobis in nobis operatur. Reſp. quòd æqualitas iſta intelligitur proportionaliter, & in ſubiecta materia, iuxta Eccleſię capacitatem; ita quòd quicquid ſufficienter valuit ſacrificium Crucis, hoc quoad applicationem valet ſacrificium Miſſæ; quamuis ſemper ſufficientia ſit infinita, & efficacia ex parte ſubiecti ſit finita, non ex parte ſacrificij: ſic ergo intelligitur æqualitas intenſiua: quantùm verò ad extenſiuam, extenditur ad omnes, qui ſunt illius effectus capaces,

idest

ideſt non ad damnatos, neque exiſtentes in Limbo puerorum, nec in Limbo Patrum, vbi iam nulli ſunt; ſed ad exiſtentes in Purgatorio, & ad viuentes præſentes. Et quamuis ſufficientia in Cruce fuerit perfecta, non tamen euacuatur ſufficientia Miſſæ; quia oblatio de ſe digna eſt vt valeat contra omnia mala, & ad omnia bona; quamuis etiam ad multa concurrat aliquid ex parte noſtra; tamen hoc etiã ex efficacia huius ſacrificij habet; ſiue dicat̃ impetratiuè, ſiue ex opere operato.

Quintò. Si ſacrificium habet vniuerſalem cauſalitatem, ergo moralem, non phyſicam, vel ex opere operato. Reſp. ſiuè phyſica ſit, ſiuè moralis, eſt tamen ex vi ſacrificij, non ex opere operantis, moralis tamen eſſe videtur. 5.

Sextò. Tales effectus non proueniunt ex hoc ſacrificio, nec vt actu oblato, nec vt in voto exiſtente; vt patet de prima illuminatione ad Fidem, ſed tantùm ex ſacrificio Cruento. Reſp Sicut Chriſtus in tota vita ſua, nedum in Cruce, operatus eſt noſtram ſalutem; ita non ſolùm per Crucem, ſed etiam per oblationem Miſſæ miniſterio Sacerdotum illam operatur; 6

ideo enim dicitur Sacerdos in æternum; quia ſemper ſeipſum per miniſtros offert in Miſſa Deo Patri pro ſalute noſtra. Vnde effectus iſti proueniunt ex hoc ſacrificio, vt actu oblato, non modò vt applicat ſacrificiũ Crucis, ſed etiã ex virtute ꝓpria.

7 Septimò. Si vera eſt cauſalitas iſta vniuerſalis, ergo Sacramenta operantur virtute huius ſacrificij, quod eſt falſum. Reſp. negatur conſequentia; poſſunt enim inſtitui plura media vniuerſalia pro ſalute mundi, ideſt Paſsio Chriſti, & ſacrificium Miſſæ; quamquam non abſurdè dici poteſt, quòd ſacrificium valeat aliquo modo ad perceptionem Sacramentorum.

8 Octauò: Paſsio Chriſti eſt vniuerſalis cauſa omnium effectuum gratię, ſiuè per Sacramenta, ſiuè per quodlibet aliud medium; ergo Miſſæ ſacrificium nullum habet effectum ex opere operato, niſi vt nititur ſacrificio Crucis; & hoc videtur certum de Fide. Reſp. Concedo totum, ſed non ſequitur, quòd non ſit cauſa vniuerſalis, immò potius ſequitur quod ſit; quia Paſsio, ſicut Sacramenta ſingulariter applicatur, ita per ſacrificium applicatur, ita per ſacrificium applicatur vniuerſaliter.

CA-

CAPVT XVII.

Statuitur concluſio quarta, quinta, ſexta, & ſeptima.

SEQVITVR quarta concluſio. Miſſę ſacrificium ex opere operato confert honorem Deo.

4. concl.

Declaratur. Chriſtus in omni opere ſuo Deum honorauit ab initio conceptionis, vſquè ad mortem, iuxta illud, Legē tuam volui in medio cordis mei; &, Ego honorifico Patrē meum; immò vſquè ad finem mundi; præſertim per ſacrificium Miſſę; cuius ratione dicitur Sacerdos in æternum; & & hic honor eſt vniuerſalis, ideſt omni modo, quo Deus inſtituit, vt à creaturis honoraretur; immò ratione perſonæ non modò Deum honorat quantum omnes homines, immò & Angeli, immò & creaturæ honorare tenentur; ſed etiam abundantius, quantum Deus ipſe honorandus eſt. Quare cùm ſit caput hominum, immò Angelorum, & omnium creaturarum,

Declaratur. Pſ. 39. Io. 8.

exhibet Deo debitum honorem per hoc ſacrificium, pro hominibus omnibus, & Angelis,& creaturis. Et accipitur honor non modò vniuerſaliter, prout vniuerſis actibus exhibetur; ſed ſpecialiter pro honore Diuinæ Maieſtati conueniente, qui græcè dicitur latria: vnde hoc ſacrificium dicitur græcè latreuticon; & ſic diſtinguitur à propitiatorio, gratiarum,& impetra torio,in iſta concluſione.

Probat. Probatur; Tùm auctoritate, ex canone vbi dicitur, Offerimus preclaræ Maieſtati tuæ; & plurimæ orationes ſecretæ idem habent. Conſentiunt etiam omnes Patres, & Theologi, & vniuerſalis Eccleſia. Item ratione, quia figurabatur ab omnibus ſacrificijs antiquis, quæ proculdubio in Dei honorem adhibebantur. Secundò,quia repræſentat ſacrificium Crucis,& Cęnę,quę in honorem Dei ſunt oblata. Tertio,cōuenientiſsimum, immò neceſſarium fuit ſacrificium honorarium eſſe in Eccleſia; ſed non adeſt niſi in Miſſa; & profectò plurimum honori Diuinę Maieſtatis detraheretur, niſi ſacrificium illud inſtitutum fuiſſet.

Soluuntur arg. Defenditur, Primò, Sacrificium eſt

præ-

præcipuè propitiatorium, ergo non honorarium. Reſp. Tùm negando conſequentiam; Tùm etiam quòd licèt ex parte noſtri dici poſsit per ſe primò propitiatoriũ; tamen ex parte Dei per ſe primò eſt honorarium: vnde propitiatio refertur ad honorem. Secundò. Licèt in innocentia fuiſſet honorarium, ſi fuiſſet tamen in natura lapſa eſt propitiatorium. Reſp. In innocentia fuiſſet ſolum honorarium, gratiarum, & impetratorium: ſed in natura lapſa eſt etiam propitiatorium.

Quinta concluſio. Sacrificium Miſſæ eſt gratiarum, & laudis ex opere operato. Quæ declaratur. Omninò Deo ſunt agendæ gratiæ, & laudes offerendæ pro beneficijs eius; hoc autem præclariſsimè per hoc ſacrificium præſtatur; & Chriſtus Dominus ſingulariter per hoc ſacrificium Deo gratias agit, vel in gratiarum actionem ſe offert Deo, pro vniuerſis bonis collatis tàm humanitati ſuæ, quàm hominibus, & Angelis, & cunctis creaturis. Et quamuis non propriè dicatur mereri, vel ſatisfacere; ſed applicare meritum, vel ſatisfactionem præteritam; nihilominus dicitur verè gratias agere, & honorare Deũ 5. concl. Declaratur.

Sacerdotum miniſterio.

Probat. Probatur, Tùm auctoritate, ex canone, vbi habetur, Hoc ſacrificium laudis: ac etiam exprimitur in quibuſdam collectis. Tùm etiam ratione. Primò, quia figuratur à ſacrificijs antiquis, quæ etiam in gratiarum actiones erant. Secundò, quia repræſentat ſacrificium Cœnæ, quod in gratiarum actionem, & laudes non dubitatur exhibitum. Tertiò, quia debentur vtiquè laudes, & gratiæ; ſed præſtantiſsimè hoc ſacrificio præſtantur.

6. conc. Sexta concluſio. Sacrificium Miſſæ impetratorium eſt ex opere operato.

Declaratur. Declaratur. Impetratio tripliciter accipi poteſt. Primò, communiter, pro merito, & dignitate ad aliquid; & ſic omnis virtutis actus impetrare, ideſt mereri dicitur à Deo. Secundò, propriè, vt ſignificat obtinere per petitionem; & ſic eſt propriũ orationi. Tertiò, appropriatè, vt ſignificat virtutem obtinendi aliquid à Deo ſpeciale, & ſic appropriatur ſacrificio. vnde in ſacrificio eſt & primo modo, quia eſt opus ſanctiſsimum; & ſecundo modo, ratione orationis adiunctæ; & tertio, qui dicitur impetratio ſacrifica, & ſingularis.

Probatur

Probatur, Tùm auctoritate Eccleſiæ offerentis in Miſſa ad impetranda bona,& remouenda mala; quod etiam aſſeuerant Concilia,& ſancti Patres, ac Theologi, & omnes fideles abſquè vlla dubitatione; & experientia ipſa manifeſtat; nam ad impetranda diuerſa, Miſſæ celebrantur. Tùm ratione,quia eſt figuratum ab antiquis ſacrificijs; & repræſentat ſacrificium Crucis,& Cœnæ;quæ vtiquè impetratoria fuerunt: ac proculdubio neceſſarium fuit in Eccleſia huiuſmodi ſacrificium inſtituere; alioquin valde infimæ ſunt orationes noſtrę. Sed prorſus obſeruandum eſt, quòd oratio adiungitur ſacrificio, non vt illi præbeat impetrandi virtutem, ſed econuerſo ſacrificium & ex ſe eſt impetratorium, & orationibus efficaciam pręſtat.

Septima concluſ. Sacrificium Miſſæ eſt ex opere operato propitiatorium. Declaratur.Propitiatio,& ſatisfactio dupliciter accipiuntur.Primò,pro eodem,& ſic vtrū que reſpicit culpam,& pœnam. Secundò, vt ad inuicem diſtincta, & ſic propitiatio reſpicit culpam,& ſatisfactio pœnā. nunc verò ſumitur ꝓpitiatio ſpecialiter ſecū do modo, nō tamē excludendo primā.i.ſatiſ- Soluuntur arg.

factionem

ſatisfactionem pro pœna. Itaquè ſacrificium per ſe primò reſpicit culpam, & conſequenter pœnam; vt apparet ex verbis cōſecrationis; Effundetur in remiſsionem peccatorum; & in oblatione Miſſæ dicitur, Meam, & omnium ſalutem operetur æternam. Et in toto canone nunquam ponitur expreſsè pœna, quamuis exprimantur omnia mala, & animarum redemptio.

Probatur. Probatur ergo, Tùm ex inſtitutione, & canone, vt dictum eſt. Tùm etiam ex Concilijs, & Pontificibus, & Patribus, & Theologis, quæ omnia luce clariora ſunt. Sed etiam rationibus confirmatur, Primò, quia talia erant ſacrificia antiqua, figuræ iſtius. Secundo, quia talia fuerunt ſacrificium Crucis, & Cœnæ, cum quibus hoc idem eſt. Tertiò, quia hoc maximè indiget Eccleſia: vnde neceſſariò inſtitutum fuit. Quartò, quia in natura lapſa propitiatio eſt omninò de ratione ſacrificij. Quintò, ipſa miſtica mactatio, & conſumptio ſacrificij, hoc euidentiſsimè demonſtrat.

Nec obſtat primò. Propitiatio in Cruce conſumata fuit, ergo non eſt in Miſſa.

Reſp.

Reſpon. Verum eſt quantum ad ſufficientiam, & virtutem; ſed quantum ad efficaciam,& effectum applicatur, & continuatur in Miſſa vſque in finem mundi.

Nec ſecundò. Sacrificium hoc eſt directè remiſsiuum pœnæ, ergo non per ſe primò reſpicit culpam. Reſp. Quamuis aliqua ſpeciali ratione pœnam reſpiciat, tamen principalius culpam,quicquid aduerſarij opinentur,vt probatum eſt. a

CAPVT XVIII.

Statuitur octaua, & nona concluſio.

SEQVITVR octaua concluſio. Sacrificium Miſſę habet ex opere operato vim ſatisfaciendi pro pęna. 8.concl.

Declaratur. Specialis vis remittendi pœnam in ſacrificio non intelligitur vt proprius effectus, quaſi alij effectus non ſint ex opere operato immediatè, & infallibiliter: in quo ſenſu accipitur ab opinione contraria; ſed ſicut ex ſe reſpi- Declaratur.

reſpicit culpam,& alios effectus,ita etiam pœnam.

Probatur. Probatur primò. Eccleſia offert in Miſſa pro defunctis, ergo ſpecialiter ad pœnæ remiſsionem; quamuis etiam ad culpæ venialis remiſsionem; ac etiam quia in Cruce ſpeciali modo reſplendet ſatisfactio pœnæ, cuius virtus applicatur, & explicatur in Miſſa. Demum omnes rationes, quibus probat Suarez cit. diſp. 79. ſect. 6. quòd ex opere operato pœnam remittit, efficaciter probant hanc concluſionem; non tamē in ſenſu illius, vt inferius explanabitur.

Soluuntur arg. Defenditur primò. Sacrificium iſtud eſt vniuerſalis cauſa effectuum gratiæ, ergo non limitatur ad remiſsionem pœnæ.

1 Reſp. Non intendimus ipſum non producere alios effectus ex virtute ſua, ſed quod ſpeciali ratione, ſicut eſt propitiatorium pro culpa, ſic ſatisfactorium pro pœna.

2 Secundò. In omni ordine datur vnum per ſe primum, & alia ſecundaria, ſed ſacrificium per ſe primò eſt vniuerſalis cauſa, ergo omnia ſpecialia ſunt ſecundaria, etiam propitiatio, & ſatisfactio. Reſp. Probatur concluſio. Per ſe primò dupliciter, vel ſecundum adæquationem formalem, ideſt totam latitu-

titudinem, & ſic per ſe primò eſt cauſa vniuerſalis. Vel per excellentiam alicuius principalis; & ſic eſt propitiatorium, & ſatisfactorium. Sicut animal per ſe primò in primo ſenſu dicit totum genus animalium, ſed in ſecundo dicitur de homine.

Contra. Ratio honorarij eſt excellentiſſima, ergo non propitiatio. Reſp. ex parte Dei, vtiquè eminet honor Maieſtatis Diuinæ, ſed ex parte hominis aliquo modo eminet propitiatio; immò in ipſa excellenter inuenitur diuinus honor. 3

Concluſio nona. Miſſæ ſacrificium habet effectum ex opere operato infalliliter. Quæ declaratur, probatur, & defenditur. 9.concl.

Declaratur primò: Quamuis ex opere operantis, ideſt ex parte Sacerdotis multoties non adeſt effectus, tamen ex opere operato, ideſt Christo oblato, & offerente, immò etiam Sacerdote, vt Chriſti miniſtro, ſemper habet effectum; ſic enim ſe tenet ex parte Chriſti, & operis operati. Declaratur. 1. Not.

Secundò. Accipitur effectus indefinitè, ideſt aliquis, immò plures effectus, non determinatè hic, & ille, puta remiſsio culpæ, vel remiſsio pœnæ. 2. Not.

Tertiò. Cùm effectus ſacrificij ſint hono- 3. Not.

honorare, gratias agere, propitiari, & ſatisfacere, & impetrare, ſemper habet primum, ideſt cultum Dei; hic enim non requirit diſpoſitionem in ſubiecto, niſi in offerente principali; & poteſtatem, atque intentionem offerendi in miniſtro. Eadem quoque ratione ſemper agit ſecundum, puta gratias; tertium verò, quamuis non vniuerſaliter habeat, tamen quia commune eſt fidelium ſacrificium, ſemper propitiatur, in iuſtis dimittendo, & culpam venialem, & pœnam; & in alijs fortè aliquam diſpoſitionem ad gratiam; impetrationem quoque ſemper habet aliquo modo, & circa aliquos effectus, ideſt remouet aliqua mala, & confert aliqua bona.

4. Not. Quartò. Intelligitur effectum habere infallibilem, non modò pro ſingulis fidelibus, vel quibuſdam, vel omnibus; ſed vniuerſalem in tota Eccleſia in orbe terrarum, ſicut apertè exprimitur in principio canonis: Pro Eccleſia tua ſancta Catholica toto orbe terrarum.

Probatꝰ cõcluſio. Probatur concl. Primò. Hoc ſacrificium ſemper Deo placet ex parte principalis offerentis, & rei oblatæ, & repræſen-

tatione

ratione ſacrificij Crucis, & Cœnæ; ergo ſemper habet effectum. Secundò. Fructus vberrimus percipitur in Miſſa Cruenti ſacrificij, ex Conc. Trid. ergo. Tertiò. Cùm offeratur pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, conſtat defunctos vniuerſos, & plurimos viuentes, nempè iuſtos non ponere obicem; aliqui etiam ſunt effectus non impedibiles, puta honorare, gratias agere, & aliquid impetrare, ergo. Quartò. Quamuis opus hominis particulare poſsit eſſe vanum, opus tamen vniuerſale totius Eccleſię, immò ipſius Chriſti, non poteſt eſſe vanum. Quintò. Si orationes miniſtrorum Eccleſiæ publicæ ſemper habent effectum, & multo magis in Miſſa; longè vtique amplius ipſum ſacrificium ſemper habet effectum. Deniq; in Catechiſmo Pij Quinti (vt refert Suarez) dicitur, quòd operatur vt meritum de condigno, ſatisfacit, & impetrat.

Defenditur. Arg. primum. Si ſemper habet effectum, ergo ſemper confert gratiam, & impetrat poſtulata. Reſp. Negatur conſequentia, quia alios præter iſtos habet effectus; ſemper tamen aliquo modo diſponit ad gratiam, niſi ponatur obex. Soluuntur arg.

Secun-

Secundũ. Si infallibiliter operatur, ergò eſt inſtrumentũ Dei, & agit vt agẽs naturale. Reſp. Largè poteſt dici inſtrumentum, prout applicat virtutẽ cruenti ſacrificij; non tamen ſtrictè, vt Sacramenta, ſaltẽ reſpectu gratię; ſemper tamen habet aliquos effectus, ad quos ex natura ſua eſt inſtitutũ.

Tertium. Ergo facile à Purgatorio exeunt animæ, & viuentes plerumquè abſque pœnæ reatu inuenientur, propter multitudinem Miſſarum quotidie in Eccleſia celebratarum. Reſp. Negatur conſequentia; quia non tantam habent deuotionem ad ſacrificium, ex qua determinatur effectus, præſertim propter veniales culpas, quibus nõ dimiſsis, nec pęnæ dimittuntur.

CAPVT XIX.

Ponuntur differentiæ inter Sacrificium, & Sacramentum.

10. cõcl. SEQVITVR decima concluſio. Sacrificium Miſſæ non eodem modo quo Sacramenta producit effectum ex opere operato.

Decla-

Declaratur. Multiplex differentia intelligi poteſt inter Sacramenta, & Sacrificiũ. Declaratur.

Prima, quòd Sacramentum operatur ex promiſsione ſpeciali naturæ illius adiuncta, ſine qua eſſe poterat; Sacrificium verò ex natura, & dignitate ſua, non per promiſsionem ſuperadditam. Sed non placet, quia vtrunque ex inſtitutione Chriſti operatur, licèt ſacrificium maximam dignitatem ſuperaddat: quę promiſsio vtrobiquè per Eccleſiam declaratur. Nec obſtat primò. Dignitas ſacrificij hoc meretur, non dignitas Sacramentorum, ideo Sacramentis additur promiſsio. Reſpond. Etiam Sacramenta digna ſunt, quę ex paſſione Dòmini virtutem habent; dicuntur autem habere promiſsionem, propter infallibilitatem; ac etiam ſacrificium infallibiliter operatur, iuxta ſupradicta, ideo non ſolùm ob dignitatem ſummam, ſed etiam ob promiſsionem operatur; quæ promiſsio intelligitur in verbis, Pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. 3. Differentia.

Secunda, quòd in Sacramento non eſt opus petitione, nec intentione conſequendi effectum, quia promiſſus eſt; ſed in ſacrifi- 2. Differentia

crificio vtraque eſt neceſſaria . Sed non placet, quia ſicut miniſter Sacramenti intendit ipſum conferre, & eius effectum ſuſcipienti; ſic etiam miniſter ſacrificij intendit fructum ſacrificij conferre illis pro quibus offert; nec per ſe ſacrificium indiget oratione, ſed propter alias rationes, vt infra. Nec obſtat primò, Sacrificium non confert effectum, niſi applicetur ab offerente ad hoc, vel illud beneficium impetrandum; quod non eſt neceſſarium in Sacramento. Reſp. Semper celebrans intendit proficere illis pro quibus offert, tàm generaliter, quàm ſpecialiter, quæ intentio in canone Miſſæ exprimitur. Nec ſecundò. Sacrificium de ſe eſt indifferens, & ideo vt actu impetret, oportet determinari per deſiderium, vel petitionem ad aliquid impetrandum. Reſp. Sacrificium dicitur indifferens, non quia infallibiliter nō operetur, ſed quia nō vnum, ſed valde plures habet effectus generaliter, ac etiam poteſt ſpecialiter applicare ad hunc, vel illū.

3. Differentia. Tertia, quòd effectus Sacramenti eſt infallibilis, ſi non ſit obex, quia in promiſſione fundatur; ſed impetratio ſacrificij fallibilis eſt, etiam ſine obice. Sed etiam

non

non placet, quia abſolutè, & indefinitè etiam ſacrificij effectus infallibiliter ſequitur, vt ſupra oſtenſum eſt.

Nec obſtat primò. Sacrificium ſi habet infallibilem effectum, eſt ex adiuncta oratione, quæ ſi habet conditiones requiſitas, eſt infallibilis; vnde ex promiſsione facta in oratione, eſt infallibilis. Reſp. Immò etiam ex ſe ſacrificium infallibiliter operatur: & profectò mirum, ne dicam abſurdum, eſt, orationi factam fuiſſe promiſsionem, non autem ſacrificio Chriſti Domini. Soluuntur arg. 1

Nec ſecundò. Chriſtus orando, ſi habet voluntatem efficacem, ſemper impetrat; ſi verò antecedentem ſolam non impetrat; ſed in ſacrificio videtur antecedentem habere, ergo non infallibiliter operatur. Reſp. Chriſtus ſacrificium inſtituẽdo, efficaciter voluit effectum habere, quia fundatur in merito, & ſatisfactione eius infinitis. ſanè abſurdum eſt non conſtituere ſacrificium excellentius, quàm orationem. 2

Nec tertiò Impetratio fundatur in perſona Chriſti non vt actu operante, ſed vt repræſentata in miniſtro; ideo non infalli- 3

bilis eſt effectus. Reſp. Chriſtus in Miſſæ ſacrificio, & actu operatur, & in miniſtro repræſentatur; ſed etiam ſi actu non operaretur, applicatur tamen virtus paſsionis eius; ac etiam ex inſtitutione, & voluntate illius, infallibilem habet effectum.

4 Nec quartò. Nullo fundamento affirmari poteſt promiſsio; nec voluntas Chriſti abſoluta; vt omnia in ſacrificio poſtulata concedantur, quaſi promiſsioni æquiualeat; quia nulla ratione, & auctoritate conſtat, neque neceſſariò coniuncta eſt eius inſtitutioni; quin potius fuit conueniens, non eſſe; eo quòd non expedit ſemper poſtulata concedere. Reſp. quòd alia eſt ratio de oratione; & de ſacrificio; oratio progreditur ab hominis voluntate, quæ non neceſſariò recta eſt, etiam ſi recta videatur: ſed Sacrificium à Chriſto eſt inſtitutum, ad effectus omnmò rectos, & conuenientes; ideo oratio non ſemper impetrat, ſed ſacrificium ſemper operatur; hoc itaquê prouenit ex natura ſacrificij, vel eius inſtitutione, & ex Domini voluntate.

5 Nec quintò. Inſtituit Chriſtus ſolùm vt ſacrificium de ſe valeat Deum inducere, non vt neceſsitet, ad dandum poſtulata.

Reſ,

Reſp. Sicut Deus decreuit oratione poſtulata concedere, quibuſdam poſitis conditionibus; ſic multo magis operari effectus, ad quos inſtitutum eſt ſacrificinm.

Quarta, quòd Sacramenti cauſalitas eſt particularis, ſacrificij verò vniuerſalis. Et hoc verum eſt. ita quòd Sacramentum per ſe primò habet vnum effectum ſpecialem, nempè gratiam ſacramentalem, in diuerſis Sacramentis diuerſam; & in communi gratum facientem; quamuis conſequenter alios habeat, puta pœnæ remiſsionem: Sacrificium verò quaſi per ſe primò, & directè plures effectus producit. 4. Differentia

Quinta, quòd Sacramentum operatur immediatè, videlicet gratiam, vel eius augmentum; Sacrificium verò mediatè, idest diſpoſitionem ad gratiam, vt donum pœnitentiæ, ſeù contritionis, aut attritionem, qua poſita, per Sacramentnm datur gratia. Hoc ſanè reſpectu gratiæ, vel eius augmenti, verum eſt; tamen etiam ſacrificiū operatur multa immediatè, quo ad malorum remotionem, & bonorum collationem. 5 Differentia

Sexta, quòd Sacramentum eſt inſtrumentum Dei, vel paſsionis Chriſti, non 6. differentia

ita ſacrificium. Sed hoc non vndequaquè verum eſt, quia etiam Sacerdos celebrans eſt Dei miniſter, & Chriſti paſsionem applicat illis, pro quibus celebrat.

7. Differentia Septima, quòd Sacramentum agit, vt agens naturale, Sacrificium autem vt agẽs morale. Et hoc aliquo modo verum eſt; tamen ſacrificium immediatè, & infallibiliter, obice remoto, ſuos effectus producit; ad quos inſtitutum eſt.

Nec obſtat. Remiſsio pœnę fit ſine phyſica cauſalitate per extrinſecam Dei donationem, abſquè reali hominis mutatione; quod non eſt in Sacramento. Reſp. Sacrificij effectus ex opere operato non eſt ſola pœnæ remiſsio, ſed alia, in quibus quandoquè mutatur homo, quandoquè non mutatur. Tantùm ſequitur alio modo operari Sacramentum, & Sacrificium; non tamen quòd Sacrificium non immediatè, & infallibiliter operetur. Itaquè principalis differentia inter Sacramenta, & Sacrificiũ, nõ eſt operari immediatè, & mediatè, nec vt inſtrumentum, & non inſtrumentum; nec vt agens phyſicum, & morale; ſed cauſalitas particularis, & vniuerſalis; multo minus differentia eſt operari ex promiſsione,

ne ; & ſine promiſsione ; vel ſine oratione, aut intentione , & cum illa ; vel infallibiliter , & fallibiliter .

CAPVT XX.

An Sacrificium operetur ex opere operato ſolam pænæ remiſsionem.

AD ampliorem, & abſolutã huius materiæ explanationem inueſtigandum eſt, An ſacrificium Miſſæ habeat ex opere operato effectũ remiſsionis pœnæ ſolum, aut etiam alios. In qua quæſtione declaratur titulus. Effectus ex opere operato accipitur, vt diſtinguitur ab effectu ex opere operantis, ideſt qui conſequitur naturam, & virtutem ſacrificij, immediatè, & infallibiliter .

Secundò . Opiniones duæ ſunt . Prima Frãciſci Suarez ſuper quæſtion. 83. art. 1. in 3. partem, diſp. 79. ſect. 6. quòd ſacrificium Miſſæ ex opere operato confert ſolum pœ- Opiniones

næ temporalis remiſsionem; non remiſsionem culpæ, vel originalis, vel mortalis, vel venialis; non infuſionem gratiæ, vel eius incrementum; non bona temporalia, nec auxilia gratiæ; quamuis ad hæc omnia valeat per modum impetrationis; diſtinguit ergo impetrationem ab effectu ex opere operato.

Secunda opinio, quòd ſacrificium ex opere operato valet etiam ad alia, quàm ad pœnę remiſsionem. Et hæc opinio placet, vnde declaratur, probatur, & defenditur.

1. Not. Declaratur. Nota primò, quòd impetratio dupliciter accipitur, Vel propriè, ſiuè appropriatè, prout conuenit orationi; Vel communiter, vt ſignificat virtutem aliquid obtinendi à Deo; nō ex parte operantis, puta deuotionis, vel bonitatis eius, ſed ex virtute ipſius operis. nunc autem non accipitur primo modo, ſed ſecundo, qui concurrit cum effectu ex opere operato: hic enim etiam procedit non ex virtute operantis, ſed operis ipſius immediatè, & infallibiliter: Et quamuis in Miſſæ ſacrificio adhibeantur orationes, non tamen præſtant ſacrificio virtutem, ſed potius ip-

ſæ

ſæ virtute ſacrificij excellentiorem vim aſſequuntur. Et quidem oratio priuata de ſe apta eſt impetrare, etiam infallibiliter, ſi debitis conditionibus fuerit ſuffulta, nempè pro neceſſarijs, piè, pro ſe, ac perſeueranter; oratio quoquè miniſtri publici, puta Sacerdotis in eccleſiaſticis officijs infallibiliter eſt accepta; quia non in perſona propria, ſed Eccleſiæ profertur: oratio etiam Sacerdotis in Miſſa multo magis valet, & impetrat, quia in perſona Eccleſiæ, ac ferè in perſona Chriſti offertur. Veruntamen adhuc ſacrificium ipſum circumſcriptis orationibus, & ipſarum valore, habet impetrandi virtutem, longè præſtantiorem, immò infinitam: eſt enim impetratio, non tàm oratoria, quàm ſacrificialis: & de iſta accipitur in propoſito.

Nota ſecundò, quòd virtus impetratiua; ſeù effectus ex opere operato attenditur magis, & minus: nempè minus eſt in miniſtro publico, vt orante, quàm vt ſacrificante; & minor eſt in indulgentijs, quàm in Sacramentis: & aliquo modo minor eſt in ſacrificio quantum ad infuſionem gratiæ, vel culpæ remiſſionem, quàm in Sacramentis: quamuis ſit maior in ſacrificio 2.Not.

quo

quo ad vniuerſalitatem effectuum. Adhuc in ſacrificio valor, & effectus, ſiuè impetratio eſt maior, & minor multipliciter.

Primò, ex parte eorum, pro quibus offertur: magis enim prodeſt iuſtis, quàm peccatoribus; & plus iuſtis viuentibus, quàm defunctis; ſicut etiam plus magis diſpoſitis, quàm minus.

Secundò, ex parte concurrentium ſpecialiter ad ſacrificium, quia magis Sacerdoti proficit, quàm alijs; & magis facientibus celebrare, quàm cæteris; & magis miniſtrantibus, quàm aſtantibus: hoc tamen verum eſt, cæteris paribus.

Tertiò, ex parte effectuum, quia magis confert diſpoſitionem ad gratiam, quàm gratiam ipſam: & magis remiſsionem culpæ venialis, quàm mortalis; & magis fortè remiſsionem pœnæ, quàm culpę.

3. Not. Nota tertiò, quòd principalis differentia inter Sacramenta, & Sacrificium, eſt, quòd Sacramenta ſunt cauſę particulares, ideſt effectum habent particularem per ſe primò: Sacrificium verò eſt cauſa vniuerſalis plurium effectuum per ſe primò.

Ratio eſt, primò, quia Sacramenta ſunt tanquam riuuli, & particularis applicatio

paſ-

Paſsionis Chriſti; Sacrificium verò eſt vniuerſalis eius applicatio, & iuxta Concil. Trident. vbetrima fructus eius perceptio; eſt enim in Sacramentis non ipſe Chriſtus, ſed virtus eius, niſi in Euchariſtia, quæ cũ Sacrificio concurrit; in quo eſt etiam ipſe Chriſtus ſeipſum offerens: vnde meritò Sacramenta ſunt plura, tamquam diuiſam, & partialem virtutem habeant; Sacrificium verò vnicum eſt, quaſi vniens omnem virtutem.

Secundò, quia Sacrificium aſsimilatur in ſpecie Sacrificio Cœnæ, niſi etiam idem continuari dicatur ab eo tempore vſque in finem mundi. ibi verò Chriſtus vniuerſaliter operatus eſt mundi ſalutem, inchoatiuè quidem, & in Cruce conſumatè.

Tertiò, quia quæ in Sacramentis reperiuntur, particularia ſunt, & ſingulariter pronuntiantur, puta, Ego te baptizo. Ego te abſoluo. Sed in Sacrificio ſunt omnia vniuerſalia, & numero multitudinis proferuntur, puta Offerimus, Rogamus, Petimus pro Eccleſia ſancta. Et cuncta familia tua.

Nota quartò. Dominus Ieſus ex prouidentia ſua, ſicut in paſsione ſua obtilipit 4. Not.

nobis

nobis remotionem malorum omnium, & omnium bonorum collationem; ita debuit aliquo modo applicare hunc ſuæ paſſionis fructum; vt quod in Cruce, immò in toto vitæ decurſu obtinuit quo ad ſufficientiam, id totum exequeretur quo ad efficaciam. Hoc autem dupliciter exequitur. Primò, internè, per eius fidem, & charitatem. Secundò, externè, per Sacramenta, & per Sacrificium: per Sacramenta particulariter, & per Sacrificium vniuerſaliter. vnde Sacramenta plura ſunt inſtituta, penes malorum remotionem, vel bonorum collationem particulariter; Sacrificium verò vnicum eſt ad omnia. Cæterũ ſicut Sacramenti effectus ex diſpoſitione ſubiecti determinatur, ita etiam effectus Sacrificij: ſed cùm pœna ſequatur ad culpam, etiam pęnæ remiſsio ſequitur aliquo modo remiſsionem culpæ, licèt non adæquatè. Quare vel non oppòrtuit aliquid inſtituere per ſe primò ad pœnæ remiſsionem, cùm ſit quid ſecundarium: vel ſi quid eſt inſtitutum, hoc eſt in Sacramento Pœnitentiæ ſatisfactio, aut etiam poteſtas indulgentiarum, non ergo Sacrificium inſtitui debuit ex opere operato per ſe primò

ad pœnæ remiſsionem.

Nota quintò. Decentiſsimum fuit ordinari orationes in Sacrificio Miſſę pluribus de cauſis. Primò, propter tanti Sacrificij præſtantiam, ne repente tantum exerceatur officium: Secundò, ad præparandam mentem, tàm Sacerdotis offerentis, quàm circumſtantium. Tertiò, ad obtinendum à Deo, vt nos diſponat ad recipiendum effectus Sacrificij, ne ob noſtram indiſpoſitionem tanto priuemur fructu. Quartò, ad explicandam virtutem, & effectū multiplicem Sacrificij. Quintò, ad explicandum intentiones, & deſideria noſtra, ob quæ Sacrificium offerimus: nullatenus verò arbitrandum eſt, orationes noſtras etiā Eccleſiæ communes, valorem, ſeù virtutem Sacrificio præſtare, quoniam de ſe vniuerſalem habet efficaciam. 5. Not.

Nota ſextò, ex prędictis colligitur, quòd ſi effectus ex opere operato accipitur in eo ſenſu quo communiter à Theologis vſurpatur, ideſt ex virtute propria operis, ex inſtitutione, ac volūtate, aut etiam promiſsione Chriſti, quæ traditione, & conſuetudine Eccleſiæ declaratur, & à Concilijs, Pontificibus, & Patribus indicatur; impoſ- 6. Not.

ſibilę

ſibile eſt remiſsionem pœnæ temporalis eſſe effectum ex opere operato proprium, & directum Sacrificij, vnde ſequens ſtatuitur concluſio.

CAPVT XXI.

Ponitur veritas.

CONCLVSIO eſt. Sacrificium habet effectum ex opere operato, non modò pœnę temporalis remiſsionem, ſed etiam alia.

Quæ probatur auctoritatibus, & rationibus. Auctoritates attenduntur ex multis capitibus. *(Probat cóclusio.)*

Primò, ex Scripturis, Heb. 5. Sacerdotes offerunt ſacrificium pro peccatis, ergo nõ ſolùm pro pœna. *(Scripturis.)*

Secundò, ex traditione Apoſtolica, per quàm ab initio Eccleſiæ Sacrificium iſtud offertur vniuerſaliter contra mala, & pro bonis, in obſequium Dei, & mundi ſalutē. *(Traditione.)*

Tertiò, ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ Miſſam ordinauit, & Sacrificium, ad eundem vniuerſalem finem. Potiſsimum verò *(Consuetudinis)*

rò in octaua Reſurrectionis,& ſanctiſſimæ Pentecoſtes expreſsè habetur in canone Miſſæ, Hanc oblationem offerimus pro his, quos regenerare dignatus es ex aqua, &Spiritu ſancto,tribuens eis remiſsionem omnium peccatorum: Certum eſt autem ex communi Scolaſticorum, immò & Patrum conſenſu, eis,qui in vtroqè feſto Baptiſmo initiantur, non modò culparum omnium, verum etiam & pœnarum conferri remiſsionem. Non igitur pœnæ remiſsio tantum eſt proprius Sacrificij huius ex opere operato effectus.

Quartò, ex Concilijs Bracar. Vuormat. & Tridentino,hunc apertè finem explicantibus. Conc.

Quintò,ex Pontificibus,Alexandro,Iulio,& Pio V.in Catechiſmo. Pontifici

Sextò,ex Patribus, Auguſtino, Cipriano, Gregorio Nazianzeno, Damaſceno, Ambroſio,Hieronymo,Ciril. Iuſtin.Liturgia Baſilij, & Chryſoſtomi, quæ prædicta cuncta referuntur à Suarez loco citato. Patrib.

Septimò,ex plurimis Theologis,ne dicā omnibus.

Rationes quoquè ſumuntur, Tùm ſimpliciter,& à priori. Tùm ad hominem, & à poſteriori. Theologis.

Sim-

Rationibus ſimpliciter. Simpliciter quidem primò, ex natura Sacrificij, quod eſt cõmunis Eccleſiæ oblatio, immò Chriſti pro Eccleſia, propter eius commune bonum.

Secundò, ex eius inſtitutione, & verbis conſecrationis, Effundetur in remiſsionẽ peccatorum: quàm effuſionem multi Sancti Patres intelligunt de myſtica, & incruẽta, vt refert ipſe Suarez.

Tertiò, ex ordinatione Presbyteri: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis.

Quartò, in oblatione Miſſæ ante Præfationem, Meam, & omnium ſalutem operetur æternam. vbi ly operatur inducit effectum ex opere operato.

Quintò, in canone, Offerimus ſacrificiũ laudis, & pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarũ, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, tibi reddunt vota ſua. in quibus manifeſtiſsimè vniuerſalis effectus Sacrificij explicatur; quin & frequentiſsimè in toto canone idem inſinuatur, vt ſupra dictum eſt.

Sextò, in fine Miſſæ. Pro quibus obtuli, ſit propitiabile.

Septimò, in multis collectis, tàm ſecretis,

tis,quàm poſt communionibus. Sit interceſsio ſalutaris ad veniam hoc Sacramentum: ſit ablutio ſcelerum: ſit fortitudo fragilium; ſit contra mundi pericula firmamentum: ſit viuorum, ac mortuorum fidelium remiſsio omnium peccatorum.

Octauò,cauſæ Sacrificij idem oſtendũt; puta agens principale, Chriſtus omnium mediator ad omnia; & inſtrumentale,Sacerdos publicus,& Eccleſiæ,& Chriſti miniſtret; finis, ideſt mundi ſalus; forma exemplaris, puta Sacrificium Crucis, & Cœnæ.

Nonò, comparatio Sacrificij ad Sacramenta, Tùm ſecundum ſimilitudinem, ſicut Sacramenta operãtur contra culpam; & contra pœnam,vel contra malum, & ad bonum; ita Sacrificium, & multo magis. Tùm ſecundum differentiam, quia Sacramenta operantur particulariter,Sacrificiũ verò vniuerſaliter.

Decimò, ex habitudine ad antiqua ſacrificia, quorum omnium figura eſt vnicum hoc Sacrificium; & ipſorum omnia bona cõtinet eminenter:figuræ enim ſunt. Tùm Sacrificium Melchiſedech,qui ob victoriam, ideſt in gratiarum actionem pa-

nem,& vinum obtulit. Tùm Abrahæ,qui non ad pœnæ remiſsionē ſolum multoties obtulit, Tùm Abel, qui ſimiliter non pro pœnæ remiſsionem obtuliſſe videtur,& de his tribus fit mentio ſpecialis in canone; immò rogatur Deus vt ſacrificium iſtud accipiat, ſicut accepit illa tria, ſed & diuerſa tàm in lege naturæ, quàm multo magis in ſcripta oblata ſunt Sacrificia ad fines diuerſos; ergo neceſſariò fatendum eſt, hoc inſtitutum fuiſſe non ad particularem effectū, ſed ad multos vniuerſaliter.

Rationibus a poſteriori. Probatur vlterius quaſi indirectè, & à poſteriori.

Primò, nulla ſcriptura hoc tradit.

Secundò, nulla traditio in Eccleſia ab eius initio ita coarctat Sacrificium.

Tertiò, cōmuniter Theologi nō reſtringunt effectum ex opere operato ad pęnā.

Quartò, nulla neceſsitas, neque ratio cogit ad hoc ſtatuendum.

Quinto, ex hac poſitione plura ſequuntur abſurda. Tùm primò, virtus Sacrificij nimis eſſet infirma, ſi hoc ſolum efficeret ex opere operato. Tùm ſecundò, dignius eſſet quodlibet Sacramentum, quàm Miſſæ celebratio. Tùm tertio, non eſſet appli-

catio Paſsionis ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Tùm quartò Sacrificium Cœnæ fuiſſet ſolum pœnæ remiſsiuum, cuius hoc eſt eſt expreſſa ſimilitudo. Tùm quintò, ſine vlla deuotione acquireretur effectus ſacrificij, & nihilominus in canone dicitur, Quorum tibi nota deuotio, ſignificando eius effectū iuxta deuotionē participari. Tùm ſextò, non eſſet propitiatorium, niſi ſecundum quid; quod falſum ex Bellarminio. Tùm ſeptimò, impetratio non eſſet propria efficientia Sacrificij; quod falſum eſſe oſtendit Bellarminus.

Probatur etiam ad hominem ex conceſsis à Suarez. Probat ad hominem.

Primò, habet ipſe diſputat. 76. ſect. 2. loco citato, In hoc vno Sacrificio collecta ſunt omnia bona, omneſq; rationes virtutis, quæ in cæteris omnibus Sacrificijs excogitari poſſunt; ergo non limitatur ad pœnam dimittendam;

Secundò, diſput. 79. ſect. 1. Ad rationem operis operati ſufficit vt opus vi ſua cōferat talem effectum non ponenti obicem; at multos hoc pacto confert effectus, ergo ex opere operato.

Tertiò, ibidem, ſi impetratio eſt infal-

libilis, non ponenti obicem,& ſpecialis ex vi externi operis,eſt ex opere operato:ſed etiam circa alia,eſt talis impetratio, ergo ex opere operato.

Quartò, ibidem, Sacrificium per ſe eſt ad cultum Dei, & repræſentationem Paſſionis, non ad aliquem effectum ex opere operato; ergo non ad pœnæ remiſsionem per ſe.

Confirmatur primò, ſect.3. ſacrificium per ſe ordinatur ad colendum Deum,conſequenter verò ad impetrandum, & ſatiſfaciendum; ergo dimiſsio pœnæ non eſt ex opere operato, ſi non directè, ſed conſequenter habetur; & etiam aſsimilantur ſatisfactio, & impetratio per ipſum; ergo ſatisfactio ſola non eſt ex opere operato, ſed vel etiam impetratio, vel neutra.

Confirmatur ſecundò, ſect.4. Sacrificiũ inſtitutũ eſt primariò ad colendum Deũ, & placandum; ergo non ſolum ad pœnam dimittendam.

Quintò,eadem ſectione 1. Promiſsio in hoc Sacrificio elicitur ex verbis, Effundetur in remiſsionem peccatorum; ergo non ſola remiſsio pœnæ,ſed etiam culpæ eſt ex opere operato.

Sextò,

Seztò, ſect.2. Sacrificium ex opere operato applicat meritum, & ſatisfactionem Chriſti; ergo ſi meritum, non ſolam pœnam remittit.

Septimò, ibidem, ex ipſa inſtitutione habet vt valeat ad omnia impetranda; ergo ſi ex inſtitutione, eſt ex opere operato vniuerſalis effectus.

Reſpondetur argumentis. Primum 3. parte, q. 79. 5. Sacrificium habet vim ſatisfactiuam ex directa inſtitutione ſua. Soluunt arg.
1 Reſp. non dicitur, quòd ſolam pœnam remittat, ſed quod vt ſacrificium habet vim ſatisfactiuam, ideſt propitiatoriam, & cõſequenter circa culpam; neque negatur quin ad alia ſit inſtitutum; immò artic. 7. habetur quòd vt Sacrificium offertur pro ſalute. & adducitur can, & verba illa, In remiſsionem peccatorum.

Secundum. Hoc Sacrificium aliquid confert ſpirituale ex opere operato, ſed 2
non poſitiuum, ſiuè habituale, ſiuè actuale; ergo ablationem alicuius mali ſpiritualis, & non culpæ, ergo pœnæ. Reſp. confert non ſolùm aliquid, ſed multa, tàm ſpiritualia, quam corporalia, in ordine tamen ad ſpiritualia: liberat enim à malis præte-

ritis, præſentibus, & futuris, vt dicitur in canone; & confert bona, vt ibi dicitur, omnem benedictionem cœleſtem, & gratiam; præſertim auxilia gratiæ ad fines diuerſos. Et quamuis culpam non auferat ſine actu noſtro, tamen actus ille eſt immediatus effectus Sacrificij.

3 Tertium. Nullum Sacramentum inſtitutum eſt ad remiſsionem pœnę; ergo aliquod debuit remedium inſtitui ad hoc; puta Sacrificium. Reſp. In Sacramento Pœnitentiæ inſtituta eſt ſatisfactio; & cùm pœna ſit quid ſecundarium, non oportuit Sacramentum primariò propter illam inſtitui, vel remedium, quamuis indulgentiæ ad hoc ſint inſtitutæ.

4 Quartum. Sicut maximè proprium eſt Sacrificij cruenti quantum ad actum externum ſatisfactio pro pœna, ideſt dolor ſenſibilis; ita applicatur virtus eius incruento ex opere operato conuenientiſsimè ad remiſsionem pœnæ, Reſpon. In Sacrificio cruento præcipuum fuit propitiatio pro culpa, quam reſpicit internus dolor, incõparabiliter excedens dolorem ſenſibilem; & ideo effectus ex opere operato reſpondet ſimpliciter remiſsioni culpæ: ſed quo-

niam

niam ſimul fuit etiam dolor ſenſibilis, ideo etiam effectus incruenti ex opere operato, eſt etiam dimiſsio pœnæ: quin etiam dolor ſenſibilis directè habet effectum in remiſsionem culpæ, ratione perſonæ patientis, & finis paſsionis, qui erat reconciliatio mundi.

CAPVT XXII.

An diuerſæ rationis ſit fructus generalis, & ſpecialis.

QTERITVR quartò. An valor, & fructus Sacrificij ſimplex ſit, an multiplex.

1. Not. Obſeruandum primò; quòd abſolutè valor differt à fructu, ſicut cauſa ab effectu, vel virtus ab actione, vel actus primus à ſecundo; nunc nihilominus concurrunt, & eodem modo ſe habent. Multipliciter autẽ intelligitur fructus ſimplex, & multiplex.

Primò, ratione ſubiecti, ſiue perſonarũ; & ſic multiplex eſt, quia participatur à multis, immò ab omnibus.

Secundò, obiectiuè, ſeù quoad effectus; & ſic etiam multiplex eſt, quia multi ſunt effectus ſacrificij.

Tertiò, quaſi formaliter, ideſt eiuſdem, vel diuerſæ rationis, vt puta dimiſsio pœnæ an eiuſdem rationis, vel diuerſæ ſit; & ſimiliter remiſsio culpæ an ſit eiuſdem rationis.

Quartò, ex parte agentis; & ſic eſt multiplex, nempè Chriſti, Eccleſiæ, Sacerdotis, facientis celebrare, & ſpeciali actione concurrentis. nunc autem accipitur tertio modo, ideſt, An dimiſsiò pœnæ, vel etiam culpæ, aut alius fructus ſit generalis.

2. Not. Obſerua ſecundò, quòd valor, & fructus Sacrificij triplex conſideratur.

Primus, Chriſti. Secundus, Eccleſiæ. Tertius Sacerdotis. Primus eſt ipſius Sacrificij, formaliter, ideſt offerentis principalis, & rei oblatæ, tamen mediante miniſtro. Secundus etiam eſt Eccleſiæ per eius miniſterium. Tertius eſt Sacerdotis, vt eſt ſingularis perſona. Primus eſt infinitus ſimpliciter valor; fructus verò eſt infinitus de ſe, ſed finitus per aliud, ideſt ex deuotione participantis. Secundus eſt poſitiuè, & ſimpliciter finitus, ſed negatiuè eſt in-

indeterminatus, quia Eccleſia maiorem, vel minorem virtutem habet. Tertius eſt ſimpliciter finitus,& aliquando nullus,nēpè in Sacerdote peccatore.

Obſerua tertiò, quòd Scotus triplicem 3. aſsignat fructum. Primum Chriſti,quem confert cui vult. Secundum Eccleſiæ, quē applicat ipſa nominatis in canone. Tertium Sacerdotis, quem applicat ipſe cui vult; & hic petitur,& promittitur à Sacerdote. Sed vtiquè aberrat à veritate.Tùm in primo, qui videlicet applicatur, pro Reijcitur Scotus. quibus offertur, ſiuè generaliter, ſiuè ſpecialiter; modò capaces ſint, ac diſpoſiti. Tùm in ſecundò, quia non confertur præcisè nominatis in canone, ſed etiam alijs, pro quibus offertur: Eccleſia enim etiam proalijs offert,& orat in Miſſa,nec non qui nominantur in canone primum fructum participant, cùm ille ſit eſſentialis, & principalis effectus ſacrificij. verùm iſte ſecundus potius proficiſcitur ex orationibus Eccleſiæ, quàm formaliter ex ſacrificio.Tùm in tertio,qui non petitur,aut promittitur; eſt enim admodum paruus, & aliquandò nullus, ſi accipiatur Sacerdos vt ſingularis perſona; ſi verò accipiatur vt miniſter,

concurrit cũ primo, vel ſecundo; eſt enim Chriſti, & Eccleſiæ miniſter. Itaquè primus ſimpliciter petitur, & promittitur. Secundus quoquè quodammodò petitur, ſeù petitur celebratio, & applicatio ſacrificij; ex qua intentione conſequitur naturaliter primus, & ſecundus fructus: tertius tamen alteri dari poteſt, nempè quo ad ſatisfactionem, non quo ad meritum, vel ſimpliciter.

4. Not. Reijcit Sotus. Obſerua quartò, quòd Sotus aſsignat duplicem fruſtum. Alter eſt primarius, qui ex intentione ſpeciali applicatur. Alter verò ſecundarius, qui ſine ſpeciali Sacerdotis intentione prouenit. Primus eſt limitatus, & pluribus communicatus minuitur. Secundus verò non eſt limitatus, nequè minuitur, ſi pluribus conferatur. veruntamen puo ad hoc, fructus multipliciter cõcipitur primarius, & ſecundarius. Primò, quo ad finem, & effectum, puta primarius erga Deum, ſecundarius erga fideles, ideſt ad honorem Dei, & ad vtilitatem fideliũ. Vel primarius eſt propitiatio, ſecundarius impetratio. Vel primarius eſt ſpiritualis, ſecundarius eſt temporalis. Secundò, originaliter; & ſic ex opere operato, ideſt Sacrifi-

crificij virtute, eſt primarius; ſed ex opere operantis eſt ſecundarius. Tertiò, ex intentione primaria,& ſecundaria; quæ etiã dicitur ſpecialis, & generalis; & quidem omnibus tribus modis verificari poteſt. & ſecundo modo videtur eſſe eſſentialis,& accidentalis: nihilominus nunc tertio modo ſumitur, ideſt ex intentione ſpeciali, & generali, ſicut loquitur Sotus, conueniens in hoc cum Scoto. Cæterum fructus ſpecialis,ideſt primarius,nõ intelligitur,quòd ſit vni tantùm applicatus totaliter, & ſi pluribus applicetur,diuidatur, vel minuatur; ſed verè pluribus ſine diminutione communicatur, puta ſpecialiter ad Sacrificium concurrentibus, nempè celebranti,miniſtrantibus, circunſtantibus, petentibus Miſſam, vel ſtipendium dantibus, vel pro quibus ſpecialiter offertur: generalis vero, ideſt ſecundarius, accipitur ratione perſonarum, ideſt in omnibus fidelibus, quæ in communi commemoratur in Miſſa, & pro quibus generaliter offertur. Igitur intẽtio primaria dicitur ſpecialis pro concurrentibus ſpecialiter; & ſecundaria dicitur generalis pro omnibus fi-

delibus.

delibus. Attamen errat Sotus, putans, quòd ſpecialis diminuatur, non generalis; ſiquidem neuter diminuitur, vt infra declarabitur.

5. Not. Reijcit Suarius. Obſerua quintò, quòd Franciſcus Suarez duplicem ponit fructum; Alter eſt vniuerſalis indifferens, qui applicatur ſecundum voluntatem Sacerdotis, vni, vel pluribus, ſed vni totaliter, pluribus verò partialiter, & diuiſus, eſt enim finitus. Alter verò eſt priuatus, qui confertur omnibus ſpecialiter concurrentibus ad Sacrificium; & ſingulis totaliter ſine diminutione. Veruntamen fructus poteſt dici publicus, & priuatus tripliciter. Primò, ſubiectiuè, ideſt publicus pluribus datur; vel etiam omnibus. Priuatus verò datur vni; ac etiã publicus datur omnibus duipliciter, vel ſingulis diſtributiuè, vel ſimul collectiuè, puta communitati; & hoc modo non ſumitur in præſenti. Secundò, effectiuè: & ſic priuatus, eſt vnus effectus: publicus verò ſunt plures, aut omnes effectus. nec etiam ſic accipitur. Tertiò, originaliter ex cauſa, ideſt priuatus procedit ex deuotione priuata ſpecialiter concurrentium: publicus verò ex Sacrificio ipſo per miniſtrum

pu-

publicum oblato: & ſic modò ſumitur: ſed hæc diſtinctio nulla eſt in propoſito, vtpote neque neceſſaria, neque vtilis, neque rectè fundata. Non eſt neceſſaria, puta vt proſit Sacerdoti, & alijs: concurrentibus ſpecialiter, & non ſpecialiter: in vniuerſali, & in ſingulis: quoniam ad omnes iſtas, & ſimiles differentias ſufficit vnus, & ſimplex valor Sacrificij, ſecundum deuotionem eorum pro quibus offertur, ſiuè generaliter, ſiuè ſpecialiter determinatus. Non eſt etiam vtilis, vt plus valeat ei pro quo offertur ſpecialiter, quàm alijs: quia ſimplex fructus à nobis aſsignatus ad hoc ſufficit, ex maiori deuotione ſpecialiter concurrẽtium, vel etiam ex pluribus deuotionibus ſimul concurrentibus ad vtilitatem vuius, pro quo offertur. Immò ſimpliciter noxia eſt diſtinctio iſta; nempè impediens multorum deuotionem erga Sacrificium. Nõ deniquè habet vllum fundamentum; nec in ſacrificij natura, quod vnicum eſt pro omnibus. nec in inſtitutione, quia vnum pro omnibus eſt inſtitutum: nec in voluntate inſtituentis, quia Chriſtus pro omnibus illud inſtituit: nec in cauſis ad Sacrificium concurrentibus, quia omnes

ſunt

ſunt vniuerſales, vt ſupra expoſitum eſt; nec in celebratione Miſſæ, quæ manifeſtiſſimè pro omnibus celebratur; nec in ſcripturis, vt patet; nec in traditione Apoſtolica, vt conſtat; nec in conſuetudine Eccleſiæ, quæ pro omnibus offerre conſueuit; nec in Concilijs, Pontificibus, aut Patribus, vt apparet; nec in Theologis antiquis, vſquè ad Scotum, vt videtur; nec denique in rationibus: eſt ergo diſtinctio iſta voluntaria prorſus, & nulla.

6. Not. Obſerua ſextò, quòd Nauarra quinque fructus conſtituit in ſacrificio Miſſæ. Primus eſt generalis pro Eccleſia. Secundus pro circunſtantibus. Tertius pro nominatis in canone; & iſti tres non minuuntur ex applicatione ad plures. Quartus pro celebrante, & nominatis ab illo. Quintus pro dante ſtipendium, vel Miſſam petente, & iſti duo minuuntur, ſi pluribus diuidautur. Cæterum inutilis eſt omninò iſta diſtinctio; nam ſecundus, tertius, quartus, & quintus non diſtinguuntur, ſed eodem modo ſe habent; ſunt enim omnes ſpeciales; primus autem eſt generalis; & nullus ex his pluribus diuiſus diminuitur, vt inferius explanabitur. Planè ſi ex natura Sa-

Reijcitur Nauarra.

crificij, & eius inſtitutione tribus primis confertur fructus ſine detrimento, cur nõ duobus alijs? Cur etiam differentiam ponit inter nominatos ſpecialiter ab Eccleſia, vel circunſtantes, & inter ſpecialiter nominatos à Sacerdote in commemoratione? cùm eadem Eccleſia admoneat omnes ſpecialiter nominari. Planè non eſt euidens differentiæ ratio, quòd primis tribus detur effectus vt ſingulis, & ſecundis duobus, vt vniuerſis; dari enim ſingulis, & vniuerſis non mutat Sacrificij naturam. Igitur admodum debile eſt fundamentũ Nauarri.

CAPVT XXIII.

Probatur vera Sententia.

EX prædictis colligitur, quòd vera ſententia eſt, quæ ſumitur ex Diuo Thom. 3. p. quæſt. 79. 5. & 7. & Ioannis 6. lectione 6. quod fructus Sacrificij ſimplex eſt, & eiuſdem rationis, ſiuè pœnæ dimiſsio, ſiuè culpę, ſiuè quilibet alius, tam in om- Vera ſententia.

omnibus generaliter, quàm ſpecialiter in quibuſdã. Quæ aſſertio ſatis probata remanet ex reprobatione prædictarũ diſtinctionũ, ac precipuè Franciſci Suarez: cuius reprobatio deſeruit etiam ad cæterarum reprobationẽ, quandoquidem nullus auctoritate, ſcriptura, vel traditione, nec probabili ratione fundatur diſtinctio effectus vniuerſalis, & priuati, quoad diminutionẽ, & non diminntionem: nequè congruit naturæ, vel inſtitutioni ſacrificij, ſed omnia ſaluantur, poſito vnico, & ſimplici fructu vniuerſali; qui priuatus efficitur, prout ab hoc, vel illo participatur; & iuxta maiorẽ, vel minorem deuotionem, magis, vel minus ſpecialis redditur.

[...]luunt [...]gnm. [...]uarij. Nequè argumenta contraria quidquam obſiſtunt. Primum. Non differentiæ à Franciſco aſsignatæ.

Non prima, quòd publicus eſt principaliter propter populum: priuatus verò propter Sacerdotem, vel ſpecialiter offerentẽm. Quoniam etiam ſecundum nos idem fructus primatiò eſt propter totam Eccleſiam, & ſecundariò propter ſingulòs, vel ſpecialiter offerentes.

Non ſecunda, quòd primus eſt indiffe-

rens,

rens, ſecundus eſt ſingularis vnicuique. Quoniam etiam ſecundum nos, eſt indifferens ad omnes; applicatur tamen ſingulis, & ſpecialiter quibuſdam.

Non tertia. Ad primum non eſt neceſſaria ſanctitas Sacerdotis; ad ſecundum neceſſaria eſt gratia in recipiente. Quoniam etiam ſecundum nos non eſt neceſſaria bonitas Sacerdotis, vel diſpoſitio, niſi fides, & intentio recta celebrandi; ſed in recipientibus ſiuè generaliter, ſiuè ſpecialiter neceſſaria eſt aliqualis diſpoſitio.

Non etiam quarta, quòd primus non eſt maior, vel minor ex miniſtro; ſecundus eſt maior, vel minor ex diſpoſitione recipientis. Quoniam ſecundum nos fructus non eſt de ſe finitus, ſed penès recipientis deuotionem in omnibus menſuratur.

Secundum. Si eodem modo ſe habet ſemper fructus, ergo nó magis prodeſt ei, pro quo ſpecialiter offertur, quàm alijs; quod eſt contra Thologos, & Diuum Thomam, in 4. diſ. 45. Reſp. negatur conſequentia, quoniam quando ſpecialiter offertur, adeſt deuotio maior; Tùm intenſiuè, ipſius ſpecialiter applicantis, vel concurrentis ad Sacrificium; a

Tùm multitudine, ideſt nō modò eius pro quo offertur, ſed etiam celebrantis pro eo, vel celebrare facientis pro illo.

F 3 Tertium, Sacerdos eſt perſona publica, & publica; ergo duplex prouenit fructus ex opere operato, Publicus, & Priuatus. Reſp. Idem fructus ſimul eſt, & priuatus, ideſt ipſi Sacerdoti collatus; & publicus, ideſt alijs communicatus.

4 Quartum, Si Sacerdos eſt in peccato, Sacrificium habet fructūm publicum, non priuatum, & nihil diminuitur. Reſp. Vtique, tunc Sacerdos non habet ſuum priuatum, tamen alij, pro quibus offert, ſinguli ſuos fructus habent ſine diminutione.

5 Quintum, Sacerdos peccator non facit iniuriam danti ſtipendium; quia illi applicat totum fructum publicum. Reſp. etiam ſecundum nos applicat ei fructum ex eius deuotione obuenientem, etiam cum aliorum conſortio, non diminutum.

6 Sextum, Si non eſſet duplex fructus, Sacerdos priuaretur fructu ex opere operato, cùm det alij publicum. Reſp. Ipſe publicus determinatur non ad vnum, ſed ad omnes, tàm Sacerdotem ipſum, quàm cæteros, penes cuiuſquè deuotionem ſine

I detri-

detrimento. Neque propriè Sacerdos dat fructum, ſed ex Sacrificio pro alijs oblato ſequitur vnicuique fructus.

Septimum, Fructus priuatus reſpondet deuotioni priuatæ Sacerdotis, vel ſpecialiter concurrentis ad Sacrificium. Reſpon. Idem fructus publicus, efficitur priuatus, quatenus vnicuique iuxta ſuam deuotionem applicatus determinatur. 7

Octauum, Fructus publicus, vel vniuerſalis non eſt principaliter propter Sacerdotem; ſed propter populum. Reſp. Verū eſt principaliter, ideſt adæquatè; eſt enim pro omnibus, etiam pro Sacerdote; ſunt enim vt totum, & pars, quoad eius participationem. 8

Nonum, Sacerdoti commiſſum eſt vt fructum publicum applicet cui vult. Reſ. Sacerdoti committitur vt fructum Sacrificij intendat communicare omnibus, pro quibus offertur, vel potius celebrare pro illis; ex quo ſequitur fructus in illis. 9

Decimum, Sacrificium non determinat pro quo ſit offerendum, ſed Sacerdos. Reſp. Sacrificium ex inſtitutione Chriſti pro omnibus offertur, & hanc habet intentionem Sacerdos, licèt & Sacrificium de 10

ſe,& Sacerdos de ſe poſsit ſpecialiter offerre pro quibuſdam; fructus tamen cuiuſque per deuotionem determinatur.

11 Vndecimum. Ad fructum priuatum non eſt neceſſaria ſpecialis intentio Sacerdotis, ſed bene ad fructũ publicum. Reſp. ſemper eſt neceſſaria, & ſufficit intentio generalis, quæ adeſt, dùm dicitur, Offerimus pro Eccleſia tua ſancta. adeſt etiam ſpecialis pro quibuſdam, dùm dicitur, Pro quibus tibi offerimus; vel qui tibi offerunt.

12 Duodecimum. Non poteſt Sacerdos excludere ſpecialiter concurrentes à fructu priuato. Reſp. etiam ſecundum nos, dùm generaliter offert pro omnibus, neminem excludit à fructu generali, & dùm pro quibuſdam ſpecialiter offert eos non excludit à fructu ſpeciali.

CAPVT XXIIII.

An Sacrificiũ poſsit pluribus applicari ſpecialiter, abſque detrimẽto.

QVINTO loco inueſtigandum eſt; An vnicum Miſſæ Sacrificium poſſit pluribus ſpecialiter applicari; ita

ita ꝙ vni proſit, ſine detrimento alterius.

Circa titulum, quæſtio iſta principalis eſt in hac tractatione, omnia hactenus propoſita ad hoc reducuntur; ſequens etiam quæſtio, An plura ſtipendia poſsint accipi pro vnico Sacrificio, in hac quæſtione fundatur, quæ quidem grauiſsima eſt, ac perdifficilis. Tùm ſimpliciter in ſe. Tùm etiam ex Doctorum ſententijs; non modò apud Doctores generaliter, verum etiam apud S. Thomæ diſcipulos; etenim non ſolùm diuerſi diuerſa opinantur, verum etiam contraria; immò aliquis idem Theologus cõtraria ſentire videtur, nempè Sotus. Profectò non eſt dubium quin Miſſæ Sacrificium poſsit pluribus generaliter applicari; id enim ordo celebrationis, & canon: euidentiſsimè demonſtrat, dùm pro fidelibus cunctis offertur, & viuis, & defunctis. Declaratur Titulus

Veruntamen dupliciter intelligi poteſt, An vna Miſſa loco plurium Miſſarum valeat celebrari. Primò, quòd eadem perſona plures, puta decem petat Miſſas celebrandas: & in hoc ſenſu vna pro pluribus Miſsis celebrari licitè non poteſt, vt infra declarabitur. Secundò, quòd plures

perſonæ, puta decem, ſingulæ vnam Miſſam requirant; & in hoc ſenſu opinamur, abſque detrimento ſingularum, poſſe vnicam pro pluribus potius perſonis, quàm Miſsis celebrari.

Opiniones — Circa opiniones, duæ ſunt in communi; altera negatiua Scoti, Soti, Nauarri, Suarez, & multorum Canoniſtarum, & Ieſuitarum communiter. Altera eſt affirmatiua Domini Caietani, iuxta S. Thomam, Silu. & multorum Thomiſtarum.

1. Not. fundamenta veritatis — Pro cuius declaratione obſerua primò. Huius inquiſitionis vera, & certa determinatio facilè, ac apertè colligitur ex fundamentis in ſuperioribus quæſtionibus explanatis.

Primò, quòd Miſſæ valor eſt infinitus.

Secundò, quòd efficacia Miſſæ non eſt per ſe poſitiuè finita, ſed per aliud, ex parte ſubiecti finitè diſpoſiti.

Tertiò, quòd Miſſæ Sacrificium eſt vniuerſale totius Eccleſiæ bonum, quod non modò omnibus in communi, ſed etiam ſingulis tàm in vniuerſali, quàm in ſpeciali prodeſt, & proficit.

Quartò, quòd Sacrificium ex opere operato prodeſt non ſolùm quantum ad vni-

cum effectum, puta dimiſsionem pœnæ temporalis, ſed etiam quoad alios, ideſt ad remouenda mala, & bona percipienda vniuerſaliter à Deo.

Quintò, quòd impetratio Sacrificij ſpecialis, vel ſacrifica eſt ex opere operato, ideſt ex natura rei, & inſtitutione Chriſti, non verò per modum orationis.

Sextò, quòd effectus ex opere operato non eſt in Sacrificio ſicut in Sacramentis, particularis, ſed vniuerſalis.

Septimò, quòd vniuſcuiuſque fides, & deuotio eſt cauſa, vel conditio determinatiua effectus Sacrificij, tàm intenſiuè, quã extenſiuè quoad perſonas participantes, & quoad effectus participatos.

Obſerua ſecundò, quòd nulla certior ratio naturæ, vel conditionis Sacramentorum, & Sacrificij haberi poteſt, quàm ab Eccleſia; ipſa enim à Chriſto ſponſo ſuſcipiens inſtituta Sacramenta, & Sacrificium, tanquam ſenſum, & ſpiritum illius habens, declarat & verbis, & factis naturam, valorem, & efficaciam tàm Sacramentorum, quàm Sacrificij; quod ſi verum eſt, vt prorſus eſt veriſsimum, conſtanter apparet eãdem Miſſam poſſe generaliter pro omnibus 2. Not. Probaſ ex Eccleſiæ celebratione

bus,& viuis,& defunctis, & ſpecialiter pro pluribus,item & viuis,& defunctis licitè,& vtiliter celebrari: Eccleſia enim in Miſſæ celebratione applicat Sacrificium, Tùm omnibus in communi, & collectiuè,ex verbis, Pro Eccleſia tua ſancta Catholica; Tùm ſingulis diſtributiuè, ex verbis, Omnibus orthodoxis,atq; Catholicæ,& Apoſtolicæ Fidei cultoribus: applicat etiam ſpecialiter, non tantùm vni,puta Pontifici,vel Principi; ſed etiam pluribus Pontificibus,vel Prælatis; & Principibus ſecularibus; vtriquè autem ſunt plures,& numero indeterminati;ac etiam pro circunſtantibus,qui negatiuè ſunt infiniti.

Admonet etiam poſſe, aut etiam debere à Sacerdote Sacrificium offerri, & applicari ad libitum non vni,ſed pluribus indeterminatè, tàm in commemoratione viuentium,quàm defunctorum. Itaquè manifeſtis ver[illegible]s Eccleſia declarat ſententiã noſtram; Tùm in ordinatione Presbyteri; Tùm in verb[illegible] conſ[illegible]crationis;Tùm in oblatione Calicis ; Tùm in collectis multis; Tùm in canone ipſo frequentiſsimè; Tùm in fine Miſſæ poſt benedictionem,quę omnia ſuperius ſunt expoſita.

Verùm

Verum etiam factis, ideſt traditione, atquè conſuetudine idē euidenter oſtendit.

Primò, quoniam ab initio Eccleſiæ paucisſimi erant Sacerdotes, & Fideles erant deuotisſimi; vnde veriſimillimum eſt vel omnes Fideles abſquè ſpeciali requiſitione fructum Sacrificij percipere, penes ſingulorum deuotionem; vel ſi ſpecialiter requirebant, non vnum, ſed plures, immò plurimos eandem Miſſam requirere.

Secundò, traditio, vel conſuetudo iſta perſeuerauit vſquè ad tempora noſtra in Parochijs, in quibus Parochus ſingulis diebus quandoquè Miſſam celebrare tenetur. Quare vel omnes ſubditi eiuſdem Miſſæ fructum ſine detrimento percipiūt; vel ſi ſpecialiter petunt, neceſſariò fatendū eſt poſſe idē Sacrificiū pluribus ſine detrimento prodeſſe, iuxta deuotionem ſuā. Probat ex conſuetudine Eccleſiæ

Tertiò, eadem conſuetudo ſemper fuit, & adhuc præualet in compluribus, in inſignioribus mundi Eccleſijs, ſumma in veneratione habitis; in quibus valdè magna Miſſarum multitudo quotidie confluit; quæ abſquè dubio diſtinctè celebrari nullatenus poſſunt.

Quartò, eadem conſuetudo Romæ præ-

ualet in Illuſtriſsimis Eccleſijs, non modò Principis Apoſtolorum, ſed etiam alijs quibuſdam.

Soluitur obiectio. Eſt autem inutile reſpondere, quòd hoc fit ſciente Pontifice, ac permittente.

Tùm primò, quia ſi Miſſa de ſe pluribus ſpecialiter applicari non poteſt, de iure diuino, vel naturali, & inſtitutione ſua; non poſſet Pontifex diſpenſare.

Tùm ſecundò, dato quòd diſpenſare valeat quoad pœnæ remiſsionem, quaſi indulgentias applicando; tamen hæc indulgentiarum applicatio ad propoſitum, vel nulla, vel incertiſsima eſt; & adhuc non poteſt Pontifex alios effectus Sacrificij cõferre plurimos, ad quos Sacrificium valet.

Tùm tertiò, dato quòd etiam ad alios Pontifex haberet facultatem, communicando videlicet cætera Eccleſiæ bona; tamen hanc eius voluntatem nullus certò nouit adeſſe.

Tùm quartò, dato quòd in Eccleſijs Vrbis virtualiter intercedere intelligatur voluntas iſta Pontificis; non tamen in cæteris Eccleſijs orbis totius apertum eſt.

Igitur ex hoc Pontificis ſilentio virtualiter inſinuatur hoc non eſſe illicitum; nul-

latenus

latenus enim cenſendum eſt Pontifices lõgo tempore præſidentes in re grauiſsima non adhibuiſſe, vel adhibere remedium, ne tam immane ſacrilegium frequentiſsimè in Eccleſia patraretur.

Ponitur igitur concluſio. Vna & eadem Miſſa pluribus ſimul perſonis licitè applicari valet, & prodeſſe, abſquè ſingularum detrimento.

Probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate primò ex D. Thoma, ſecundum Caietanum, & Thomiſtas: hoc eſt ex duobus fundamentis in doctrina S. Thomæ; Primum Ioannis 6. lect. 6. Sacrificium Miſſæ eſt vniuerſalis cauſa effectuum gratiæ, vel bonorum Eccleſiæ, & vniuerſalis applicatio Paſsionis Dominicæ. Secundum, in 3. par. q. 79. 5. & 7. Sacrificium prodeſt offerentibus, & pro quibus offertur, ſecũdum deuotionem illorum. at ſi vni tantùm totaliter, pluribus verò tantùm partialiter, Sacrificij fructus proficeret, eſſet particularis cauſa, & applicatio ſecundum quid Paſsionis Chriſti. Probatur auctor.

Et planè, cùm nullus Sanctorum Patrũ huic ſententiæ contradicat, nullusque Pontifex, vel Concil. nullaque traditio, vel ſcri-

ptura

ptura; immò iſti omnes potius fauent, & aſſentire videntur, vt ſupra dictum eſt; nõ eſt vllatenus reijcienda S. Thomæ auctoritas, tanquàm ſpecialis Eccleſiæ Doctoris; cui nunquam Eccleſia repugnauit, immò ſemper extulit, & prædicauit; ac præſertim circa Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacrificium; in quo explicando diuinæ reuelationes, & cœleſtia teſtimonia prçfulſerunt; vt in vitæ ipſius hiſtoria continentur: vnde diuina voluntate ſingulariter factum eſt, vt ipſe præ ceteris huius Sacramenti, & Sacrificium decantandum officium componeret in Eccleſia.

Secundò, eandem ſententiam fertur affirmaſſe Vniuerſitas Pariſienſis, quæ Sorbona nuncupatur, cuius planè magna eſt auctoritas in Eccleſia, tanquam Vniuerſitatum omnium prima, & Illuſtriſsima.

Tertiò, idem aſſeuerantiſsimè docet Caietanus, qui etiam admonet opinantes ignoranter contrarium arguendos, & inſtruendos eſſe, ac etiam Silueſter, cum quibuſdam Thomiſtis; immò, niſi repugnare velint præceptori ſuo, idem vniuerſi affirmare tenentur. Videtur etiam à S. Thomæ temporibus vſque ad nos velut per

tra-

traditionē ex eruditiſsimis in Theologia Magiſtris aſſeruatam eſſe ſententiam iſtā.

Rationibus quoquè, tàm ſimpliciter, quàm à poſteriori. Probatur rationib.

Simpliciter quidem, Tùm ex natura ipſius Sacrificij continente virtutem, & efficaciam antiquorum Sacrificiorum omnium, & multo magis Sacrificij Crucis, & Cœnæ, quæ præſertim duo pro omnibus tàm generaliter, quàm ſpecialiter valorē habuerunt; Tùm ex inſtitutione Chriſti; Tùm ex declaratione Eccleſiæ, & conſuetudine, quæ omnia, & ſimilia ſuperius ſunt expoſita.

A poſteriori etiam; Tùm quia nulla ſcriptura, nequè traditio, nullum Concilium, nequè Pōtifex, nullus Sanctus Doctor, nec antiquus Theologus contrarium poſuit. Tùm etiam ex inconuenientibus ex oppoſita opinione ſequentibus. Tùm quòd valor Miſſæ eſt finitus ad gradum, ad effectū, & ad perſonam. Tùm quòd efficacia de ſe finita eſt; & ſic non plus prodeſt magis deuoto, & meliori. Tùm quòd ſi vnicus eſt effectus ex opere operato, ſi ad alium effectum celebretur, non eſt certus effectus: Tùm quòd Sacrificium non eſt nobilius

Sacramentis, etiam Matrimonio, Pœnitentia, Extrema vnctione, atquè exiguum eſt, & vile. Tùm quòd oblatio ſortitur efficaciam non ex offerente Chriſto, & re oblata, ſed ſolùm ex inſtitutione; ſicut in Matrimonio Chriſtus non concurrit ad contrahendum, ſed ſolùm inſtituit. Tùm ex abſurdis, quæ deducuntur ex contrarijs opinantibus, de quibus ſuperius oſtenſum eſt.

CAPVT XXV.

Amplius declaratur veritas, & defenditur.

ADHVC obſeruandum eſt,
1. Not. quòd applicatio ſpecialis Sacerdotis, ſiuè ad vnum, ſiuè ad plures Fideles, tàm viuos, quàm defunctos, magis prodeſt, quàm generalis, propter maiorem deuotionem; quoniam ſi id ſciat is cui applicatur, maiorem concipit deuotionem, fidem, ſpem, reuerentiam; quæ etiam ſunt maiores, ſi Miſſa ab eo petatur, vel ſi aſsiſtat, vel ſi miniſtret,

niſtret, vel ſi eleemoſynam conferat.

Applicatio quoquè Sacerdotis ſpecialis eſt cum maiori deuotione, fide, ac ſpe; non modò ſi iuſtus eſt; ſed etiam ſi peccator.

Item in applicatione ſpeciali, nō ſolùm attenditur oblatio, ſed etiam oratio, in qua eſt maior fides, & deuotio, quando petit pro pluribus; quæ etiam gratior eſt Deo, quia non in perſona priuata, ſed publica, immò ipſius Chriſti offert, & orat.

Prætereà diſtinctio illa, quæ communiter vſurpari ſolet de Miſſa celebranda, vel ad participationem, vel ſimpliciter, iuxta contrariam opinionem de effectu operis operati finito, rectè procedit; quatenus effectus ille, ſeù fructus pluribus diuiſim, vel vni totaliter applicat; ſed iuxta ſententiam noſtram, inutilis eſt, & nulla ſimpliciter iſta diſtinctio; quia fructus de ſe non finitus, ex opere operato determinatur ex deuotione participantium; neque vnius deuotio, aut fructus tollit, aut diminuit deuotionem, aut fructum aliorum, ſemper ergo eodem modo participatur fructus, ſiuè dicatur partialiter (vnde in canone dicitur, Pro omnibus, ex hac altaris, participatione, 2. Not.

cipatione,

cipatione, & partem aliquam, & ſocietatem) ſiuè ſimpliciter. vnde in eodem canone dicitur abſolutè, Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

§. Nos. Eſt etiam aduertendum, quòd Miſſæ plures multipliciter petuntur.

Primò, omnes in communi; & ſic vna pro diuerſis petentibus, poteſt licitè celebrari.

Secundò, petitur vna ſpecialis, & alia in communi; ſpecialis inquam, puta de Spiritu ſancto, vel de Beata Virgine; & ſic Miſſa vnica ſpecialis ſatisfacit pro ipſa ſpeciali, & pro communi.

Tertiò, plures ſpeciales petuntur; & ſic vel ſunt eiuſdem rationis, puta plures de Spiritu ſancto, & hoc modo vna pro pluribus petentibus, celebrari poteſt, vel ſunt diuerſæ rationis, puta vna de Spiritu ſancto, & altera de Beata Virgine; & hoc modo non poteſt vna pro pluribus celebrari.

Cæterùm quando eadem perſona plures Miſſas requirit, ſiuè in communi, ſiuè in ſpeciali; & ſiuè eiuſdem rationis, ſiuè diuerſarum, nunquam vnam pro pluribus Miſsis licet celebrare. Ratio verò differentiæ inter eundem petentem plures Miſſas, & di-

& diuerſos petētes vnam Miſſam, vel eiuſdem rationis ſpecialem, vel in communi, eſt iſta, quòd cùm Miſſę fructus à pluribus iuxta deuotionem ſuam, ſine alterius detrimento participetur, iure poteſt vna pluribus petentibus applicari; quando verò idem petit Miſſas plures, ſiuè in cōmuni, ſiuè in ſpeciali; & ſiuè eiuſdem, ſiuè diuerſæ rationis; pluribus vicibus intendit conſequi fructum Sacrificij, qui in diuerſis Miſſis diſtinguitur, & multiplicatur: quin etiā quando plures Miſſæ requiruntur, pluries etiam requiritur; Tùm commune bonum Eccleſiæ, tàm in viuentibus, quàm in defunctis; Tùm etiam proprium bonum, ſiuè pro ſe, ſiuè pro alijs, pro quibus offert, vel offerre ſolet. Et multo amplius pluries intendit honorem Dei.

Poſtremò reſpondendum eſt argumentis. Primò ex hac noſtra opinione ſcopuli ſcandalum accipiunt, ergo reijcienda. Reſp. Si ſcandalum eſt ex malitia, non eſt curandum; ſi verò eſt ex ignorantia, docendi ſunt. Vnde Dominus Caietanus ait arguendos eſſe, ac inſtruendos; immò cōtraria opinio Sacrificij reuerentiam, & deuotionem populorum diminuit. Soluunt arg.

2 Secundò. Cùm opinio noſtra incerta ſit, videmur nos culpæ periculo ſubijcere, & iniuſtitię, ergo reijcienda. Reſp. Nullatenus periculũ vllius culpæ incurrimus, cùm ſententia noſtra in S. Thomæ doctrina ſit fundata, & à Caietano propoſita, declarata, probata, & defenſa, in opuſculis tom. 2. tract. 3. q. 2. & à pleriſque Thomiſtis confirmata; immò fundatur in ipſius Sacrificij natura, & inſtitutione, ac etiam in Eccleſię traditione, conſuetudine, & declaratione, vt in ſuperioribus expreſſum eſt.

3 Tertiò. Iuxta Caietanum, ſi Sacerdos in vna Miſſa tantæ deuotionis eſſet, quantæ in decem, poſſet vnam dicendo, pro decẽ ſatisfacere; ergo Sacerdotis deuotio petitur, & promittitur. Reſp. Non hoc habet Caietanus, ſed de offerentibus loquitur, & de his pro quibus offertur, ſi tantam deuotionem haberent ad vnam Miſſam, quantam habent ad decem; & explicat de petẽtibus; veruntamen maiorẽ fructum acquirit ex decem, quàm ex vna, quia decem vicibus multiplicatur effectus operis operati ſuæ deuotioni reſpondens.

4 Quartò. Oratio Miſſæ, quæ petitur, minus prodeſt multis, quàm vni; ergo & Sa-

cri-

crificium. Reſp. Negatur antecedens; non enim deuotio, ſed orãtis intentio petitur; quæ maiorem fidem habet, cũm pluribus applicatur; fides autem quo maior eſt, eo magis impetrat.

5 Quinto. Opinio, & doctrina nobis contraria, eſt iàm vſu Eccleſiæ recepta. Reſp. Etiam noſtra ab Eccleſiæ exordio vſq; ad tempoca noſtra perdurauit; Tùm in Parochijs vniuerſaliter; Tùm in inſignioribus mundi Eccleſijs; Tùm etiam in Eccleſijs regularibus.

6 Sextò, Sententia noſtra, nequè textu, nequè auctoritate, nequè ratione fulcitur. Reſp. Immò contraria nullam habet ſcripturam, aut auctoritatem, aut rationem efficacem; noſtra verò fundatur & in verbis ſcripturæ in conſecratione aſſumptis; & in natura Sacrificij, & in traditione, atque cõſuetudine Eccleſiæ.

7 Septimò. Diuus Thomas in hoc nõ eſt receptus. Reſp. Non ideò ſequitur eum falſa docuiſſe; immò Pontifex dixit; Quicunque ab huius Sancti doctrina receſsit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Profectò mirum eſt, quòd ſi Auguſtinus, vel Gregorius nullo aliorum Sanctorum contradicente,

aliquid aſſereret, non tàm facilè dubitaretur, aut reijceretur; cur ergo ſi Sãctus Thomas aliquid affirmat, eique nullus Sanctus repugnat, tàm facilè reijciendus eſt?

8 Octauò. Si vera eſt ſententia noſtra, nõ oportet plures pro eodem Miſſas celebrare. Reſp. Cùm deuotio participantis finita ſit, finitus eſt fructus, qui in pluribus Miſsis multiplicatur.

9 Nonò. Si eadem Miſſa pluribus, vel omnibus ſatisfacit, ergo fruſtra inſtituit Eccleſia determinatas Miſſas pro quibuſdam, & omnes pro omnibus debuit offerre, tanquàm communis omnium mater. Reſp. Sicut Sacrificium ità eſt omnibus commune, vt etiam quibuſdam applicari poſsit ſpecialiter; ita Eccleſia inſtituit Miſſam ſemper pro omnibus celebrari, vt apparet ex canone, & tamẽ pro quibuſdam voluit ſpecialiter celebrari; nunquã tamen excludit generaliter oẽs, & ſpecialiter aliquos.

10 Decimò. Semper tutior opinio eſt tenenda; ſed tutior eſt contraria. Reſ. Quando opinio eſt dubitabilis, & minus tuta, relinquenda eſt: quando verò auctoritati, & rationi nititur efficaciter, nõn eſt tamquã minus tuta, dimittenda.

Vn-

Vndecimo. Iulius Papa II. & Leo X. 11
diſpenſauerunt in ordine minorum, vt
vna Miſſa valeat pro pluribus, vt ait Na-
uarrus in conſilijs lib. 5. de priuilegijs; er-
go ſecundum ſe fieri non poteſt. Reſp. Si
vna Miſſa pro pluribus Miſsis ab eodem
requiſitis celebretur, diſpenſationi tribuẽ
dum eſt; quatenus Pontifex alia Eccleſiæ
bona loco Miſſarum communicat; ſi verò
vna pro diuerſis petentibus, celebretur,
modo antea declarato, non eſt diſpenſa-
tio, ſed ipſius naturæ Sacrificij, ſeu Miſſæ
explicatio.

Duodecimò. Si Miſſa prodeſt omnibus 12
defunctis, ergo omnes animæ per vnicam
Miſſam à Purgatorio liberantur. Reſpon.
Nulla eſt conſequentia, quia fructus Sacri
ficij pro cuiuſque deuotione finitur, ſiuè
participantis animæ, ſiuè pro ipſa cele-
brare facientis, ſiuè ipſius celebrantis; om
nes enim iſtæ deuotiones finitę ſunt, & fi-
nitum ſortiuntur effectum, non ſemper
ſufficientem ad animæ liberationem.

CAPVT XXVI.

An pro vna Miſſa, plura poſſint accipi ſtipendia ſine peccato.

SEXTO, & vltimo loco reſtat explicandum, An plura ſtipendia liceat pro vnius Miſſæ celebratione recipere. In qua tres aſſignantur opiniones.

Opiniones, Prima, quòd nullo modò licet, ſiuè magna ſint ſtipendia, ſiuè parua: & ſiuè ad miniſtri ſuſtentationem ſufficiant, ſiuè non; & ſiuè Sacerdos ſit diues, ſiuè pauper.

Secunda, quòd per ſe non licet, ſed tantùm per accidens, vt puta ſi parua ſint, vel Sacerdos ſit pauper, vel non ſufficiant ad eius ſuſtentationem.

Tertia, quòd per ſe licet, quomodocunque ſint ſtipendia, remotis tamen & puſillorum ignorantium ſcandalo, qui arguendi, & inſtruendi ſunt; & auaritia Sacerdotum. & hæc placet. vnde declaratur, probatur, & defenditur.

Declaratur vera opinio. Declaratur primò, quòd prima, & ſecũda opinio fundantur in effectu Sacrificij finito

finito, ex opere operato, ex virtute Sacrifi- 1 Not.
cij: quòd ſi verum eſſet, vtiquè prima præ-
ſertim opinio rectè procederet. tertia verò
procedit poſito effectu Sacrificij non fini-
to de ſe, ſed ſolummodo ex opere operan-
tis, puta iuxta cuiuſque deuotionem, vt ſu
pra; quæ deuotio poteſt eſſe triplex, Tùm
ipſius participātis, pro quo offertur. Tùm
celebrantis miniſtri. Tùm etiam eius, qui
ad celebrandum inducit pro alio, vel alijs.

Declaratur ſecundò, quòd ſtipendium 2. Not.
præſtitum pro Miſſæ celebratione, duplici
ter adeſſe pòteſt; Vel in ratione puræ elee-
moſynæ, & ſic nulli dubium eſt, quòd plu-
ra, vel à pluribus accipi poſſunt: quid enim
impedit, pro eadem pia operatione, plu-
res recipere eleemoſynas, tanquam liberè,
& ex charitate profectas? Vel in ratione
pretij. Et ſic etiam dupliciter, Primò, vt ſit
pretium Miſſæ, vel effectus eius; & hoc mo
do nequè vnum licet ſtipendium dare, vel
accipere, vel minimū; eſt enim pretio inæ-
ſtimabilis, & apertiſsima eſſet ſimonia. Se-
cundò, vt ſit pretiū alicuius Sacrificij, vel
Miſſæ annexi. Hoc autē triplex eſſe poteſt,
Primò labor celebrandi. Secūdò, ſuſtenta-
tio miniſtri. tertiò, obligatio ad celebrādū,
Quātum ad laborem, vel eſt labor eſſen

tialis Miſſæ; & hic, ſicut & Miſſa, eſt inæſtimabilis pretio, neque pro ipſo aliquid recipi poteſt, iuxta illud, Gratis accepiſtis, gratis date. Vel eſt accidentalis, puta eundi ad locum aliquem, vel celebrandi ſpecialem Miſſam, vel in altari particulari, & ſimilia; & hic vtique pretio æſtimabilis eſt, ac pro illo ſtipendium dari, & capi poteſt.

Quantum ad ſuſtentationem miniſtri vtique neceſſaria eſt, atque ob eam ſtipendium iuſtiſsimè redditur:

Quantum ad obligationem poteſt eſſe hæc obligatio triplex. Primò, ſimpliciter ad celebrandum, & orandum; & hæc eſt pretio æſtimabilis. Secundò, ad celebrandum, & orandum pro aliquo abſolutè, & in cōmuni; & hoc, dato quod celebret, neceſſarium eſt, & ſacrificio eſſentialiter annexum. vnde pro iſta obligatione, ſicut pro Sacrificio, nihil recipi poteſt. Tertiò, ad celebrandum, & orandū ſpecialiter, vel intentione ſpeciali pro aliquo; & ſic non eſt neceſſario Miſſę adiūcta; ſed pretio æſtimabilis eſt, & pro illa ſtipendium ſumi poteſt. Igitur ſtipendium ſumere licet: Primò ratione laboris accidentalis: Secundò, ratione ſuſtentationis: Tertiò, ratione obligationis, Tum ad celebrandum, & orandū

abſolutè. Tùm ad applicandum Sacrificium,& orationem ſpecialiter pro illo.

Declaratur tertiò, quòd eleemoſyna, vel ſtipendium per ſe non confert Sacrificij fructum; alioquin nihil prodeſſet eleemoſynam nõ largienti, vel ſtipendium nõ præſtanti; quod eſt manifeſtiſsimè falſum: ſed per aliud, prout eſt ſignum maioris deuotionis,& deſiderij percipiendi fructum; ipſa ergo deuotio per ſe ex parte recipientis eſt ratio, vel conditio recipiendi fructũ, ſicut ex opere operato virtus ſacrificij per ſe confert fructum; neque Miſſa valet per ſe propter ſtipendium, alioquin ſine illo non valeret; neque ſtipendij quantitas, determinat quantitatem fructus, ſed quantitas deuotionis. 3. Nota

Declaratur quartò, quòd ſecundum ſe eadem ratio eſt, quòd vna Miſſa pluribus applicetur abſque ſingulorum detrimento; & quòd plura ſtipendia recipiãtur; hoc enim ſecundum fundatur in illo primo, ſed ex parte noſtri magis admirantur, vel etiam ſcandalizantur oppoſitum opinantes; arbitrantur enim primò iniuriam fieri, ac damnum inferri, Primò petenti, cui promiſſum eſt Sacrificium: Secundò, Sacerdotum auaritiæ tribuunt, ac impor- 4. Nota

tuno quæſtui. Veruntamen ſi res de ſui natura penitus penetretur, ſicut Sacrificium prodeſt,& omnibus generaliter,& quibuſdam ſpecialiter,& ſic amplius propter maiorem deuotionem: ita plura pro eodem ſtipendia, vel eleemoſyne poſſunt aſſumi. neque debet eſſe ſcandalum, aut admiratio, alioquin ſi malitioſe ſcandalizentur, arguendi ſunt; ſi ex ignorãtia, ſunt inſtruẽdi.

Probatur propoſita concluſio,& ſententia iſta, Auctoritate,& ratione.

Auctoritate primo virtualiter ex Diuo Thoma,& Caietano: ſi enim concedunt Sacrificium vniuerſaliter prodeſſe pluribus, iuxtà ſingulorum deuotionem, colligitur planè, quòd poſſunt,& petere, vel rogare Miſſam,& aſsiſtere, & etiam adminiſtrare,& etiam dare eleemoſynam, vel ſtipendium; & ſicut deuotio vnius aſsiſtẽtis, vel miniſtrantis, non impedit deuotionem alterius, neque fructum; ita neque petitio, vel eleemoſyna, aut ſtipendium vnius, impedit licitam petitionem, vel eleemoſynã, aut ſtipendium aliorum; & conſequenter non impedit applicationes ſpeciales Sacerdotis, vel celebrare facientis ad plures, neque ſimiliter fructum ſingulorum.

Ex con- Secundò. Ex conſuetudine Eccleſiæ in

Parochijs, in quibus ab initio Eccleſiæ vſquè ad præſens, & in futurum perſeuerabit conſuetudo, qua plurimi, vel omnes in medio Miſſæ aliquid offerre ſolent. quæ quidem oblatio per ſe nō videtur inducta pro miniſtri ſuſtentatione: ad hoc enim beneficium collatum eſt; nequè pro Eccleſiæ neceſsitate: hoc enim per accidens eſt, & aliquando contingit: ſed propter magis percipiendum fructum Sacrificij ex deuotione maiori: ſicut enim cæteris paribus, maiorem habet deuotionem aſsiſtens, quā non aſsiſtens, & miniſtrans, quàm non miniſtrans; ita petens, vel dans eleemoſynā, quàm non dantes. Dico maiorem deuotionem, non maiorem ſanctitatem. ſuetudine.

Tertiò, adeſt conſuetudo in celeberrimis totius orbis Eccleſijs, tàm in Vrbe, quā extra Vrbem, in quibus maxima Miſſarum multitudo celebranda occurrit quotidie, quas oēs explere omninò eſt impoſsibile.

Ratione verò, Primò, ſtipendium non datur niſi vel propter ſuſtentationem, vel propter laborem accidentalem, vel propter obligationem ad celebrandum, vel ſpecialiter applicandum; ſed ratio ſuſtentationis, vel non eſt per ſe neceſſaria, quia non ordinatur Sacerdos ſine aliquo titulo Ratione.

qui

qui ad ſuſtentandum ſufficiat; vel pluribus indigent Sacerdotes, iuxta ſtatus; & ſui gradus conditionem; vnde non eſt terminatũ pretium. vnde diuerſis in locis paruum, ac magnum cõfertur ſtipendium. Ratio etiã laboris accidentalis, vel non eſt neceſſaria, quia non ſemper adeſt; vel pro eodem labore à diuerſis diuerſa ſtipendia licitè capiuntur; ſicut apparet in doctore plures diſcipulos inſtruente. ratio quoque obligationis ad celebrandum, vel orandum per accidens eſt; quia poteſt aliunde teneri ad celebrandum; vel ſi nõ alias obligetur, pro eadem obligatione ad plures plura ſtipendia recipi poſſunt; vt in exemplo doctoris apparet. Obligatio quoque ad applicandum ſpecialiter, non impedit, quia ſicut ſpecialiter offert, & orat pro pluribus, ita ab illis diuerſa poteſt ſumere ſtipendia.

2. Ratio Secundò. Si non licet; aut propter iniuſtitiam, & iniuriã, vel damnum; & hoc non eſt, quia virtus Sacrificij per ſe apta eſt pluribus, immò omnibus prodeſſe; aut ꝓpter infidelitatem in promiſsis: & hoc non eſt, quia vtique ſeruatur licitum promiſſum, celebrando videlicet, & orando etiam ſpecialiter pro illis; non enim promittitur, neque promitti debet, nec poteſt, pro vno ſolummodo

tummodo ſpecialiter celebrare, vel orare.

Tertiò. Si non licet, aut eſt, quia tollitur, vel minuitur Sacrificij fructus: & hoc non eſt, quia de ſe non eſt finitus; aut quia tollitur, vel minuitur fructus orationis: & hoc etiam nõ eſt, quia oratio ex fide impetrat, quæ fides quanto pro pluribus orat, tanto maior exiſtit. 3. Ratio

Defenditur. Arguitur Primò. Conc. Trident. ſeſs. 25. videtur contrarium ſentire. Reſp. Negatur, ſed ibi tantummodo inſtituitur, vt Eccleſiarum Prælati circa Miſſarum celebrationem, & defunctorum pias volũtates explendas, conſtituant quicquid animarũ ſaluti viderint expedire hoc autẽ non ſignificat nõ poſſe plura ſtipendia ſuſcipi. Vel etiã illud intẽdit de celebratione ſpeciali huius, vel illius Miſſę, vel orationis, aut alicuius accidentalis. in quibus obligationibus multipliciter antea peccabatur. Soluuntur arg. 1

Secundò. In Religione Prædicatorum cautum eſt contrarium nobis, ergo.

Reſp. nequaquam; ſed ſolũm iuxta Concilij decretum prouiſum eſt, vt Miſſæ iuxta obligationes perfectè celebrentur.

Tertiò. Congregatio Cardinalium dicitur ſtatuiſſe, vt pro Miſſa celebrãda Iulius perſoluatur, quod etiam complures Epi-

ſcopi in Synodis ſuis inſtituerunt. Reſpon. Cùm cõtraria nobis opinio in populo fuerit inuecta, voluerunt præſidentes populo ſatisfacere: non tamen conſtituerunt ſentẽtiam noſtram erroneam eſſe, neque determinarunt adeo pretium, vt augeri, vel minui nequeat: euidens eſt enim experientia, quòd longè minus pluribus in locis confertur; & proculdubio amplius conferri, & recipi poteſt.

4 Quartò. Paupertas Sacerdotis videtur plura ſtipendia poſſe recipere: ſed paupertas non tollit iuſtitiam, & debitum alteri, ergo non licet. Reſp. Miſſa non eſt applicabilis vni, vel pluribus, ex vno pretio, vel ex pluribus pretijs: ſed ex natura ſua, quaſi commune bonum omnibus diſpenſabile. vnde non propter paupertatẽ, ſed propter maiorem deuotionem, & fructum percipiendum, ac etiam propter plures obligationes plura pretia capiuntur.

5 Quintò. Quando petitur Miſſa ſpecialis de Sancto, ſi ipſa non dicatur, non ſatisfit promiſsioni, etiam collectam illius recitãdo; ergo non licet Miſſam ſpecialem pro alia communi celebrare. Reſp. Ex natura rei, qui Miſſam petit, plura intẽdit. Primò, cultum, & obſequium diuinæ Maieſtatis: Secun-

Secundò,bonum Eccleſiæ cõmune, viuorum,& defunctorum. Tertiò,bonum proprium,ſiuè pro ſe,ſiuè pro alijs. Dico proprium,non pœnæ remiſsionem ſolum; immò rariſsimi ſunt, qui ſolam pœnæ remiſſionem intendant;ſed proprium, ideſt cõmodum ſpirituale ſalutis,nempè collationem bonorum, & remotionem malorum. Cultus Dei,& bonũ Eccleſiæ adeſt in omni Miſſa.Bonum proprium eſt etiã in quacunque Miſſa,ſecundum fidem, vel deuotionem, vel ſuam, vel alterius pro ipſo petentis,vel celebrantis. Quartò,etiam inten dit honorem Sãcti, qui abſolutè reperitur in omni Miſſa,etenim ter in canone fit om nium Sanctorũ cõmemoratio. tamen ſpecialis honor Sancto exhibetur in illius Miſ ſa,vel collecta : ſi ergo dimittatur, vel ſola collecta pronuncietur, non deeſt ſimpliciter,ſed aliquo modo honor illius Sãcti. Veruntamen in cõmuni locuti ſumus,non de Miſsis ſpecialiter.

6 Sextò.Quando petitur Miſſa priuilegiata, non videtur poſſe applicari pluribus. Reſp. Si plures petant Miſſam priuilegiatam, non poteſt pluribus animabus applicari,quoniam indulgentia eſt finita, & determinata ad vnã animam; ſi tamen vnus

ex.

ex pluribus ſolus, non alij, peteret Miſſam priuilegiatam, poteſt idem Sacrificiũ alijs applicari, quoniam valor illius non eſt finitus, vel determinatus ad vnam animam, vel perſonam.

6 Ex omnibus verò hactenus dictis facilè colligitur, aberrare illos Sacerdotes, qui pro petentibus Miſſę Sacrificium, nolunt celebrare, ſed ſolùm promittunt ſe pro eis oraturos eſſe; quoniam iſti eum, qui maximus eſt fructum, auferunt; illum verò, qui minimus eſt, conferunt. quis enim neſciat Sacrificij valorem, ac fructum longè maiorẽ eſſe, quàm orationis, quamuis oratio Sacerdotis in Miſſa plus valeat, quàm oratio priuata? ſiquidem oratio priuata poteſt eſſe peccatoris, atque adeo vel nihil, vel parũ valere: oratio verò publica Sacerdotis valet etiam peccatoris: at verò Sacrificium proculdubio plurimum valet.

Tandem hæc breuiter dixiſſe volui, vt Sacrificij Miſſæ valorem, & efficaciam omnibus patefacerem, cunctosq; Fideles ad illius venerationem, atque frequentiam inuitarem. Omnia tamen libentiſsimè ſubijcio, non ſolùm aliorum melius ſapientium iudicio, verum etiam maximè ſanctæ Matris Eccleſiæ. Laus Deo, Deiparæ, ac Diuo Thomæ.

ROMA